Digitized by Google

Digitized by Google

CAMERINUM SACRUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

OCTAVI TURCHI

PATRICI CAMERTIS

DE ECCLESIAE CAMERINENSIS PONTIFICIBUS LIBRI VI.

PRAECEDIT EJUSDEM AUCTORIS DE CIVITATE, ET ECCLESIA CAMERINENSI

DISSERTATIO.

ROMAE MDCCLXII.

TYPIS DE RUBEIS APUD PANTHEON IN VIA SEMINARII ROMANI.

PRAESIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

Si quid in meo ingeniolo vitii repererint proferant in medium. Aut enim bona sunt, & contradicam eorum calumniae; aut reprehensibilia, & confitebor errorem; malens emendare, quam perseverare in pravitate sententiae.

S. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem.

Digitized by Google



SPLENDIDISSIMAE. CAMERINENTIUM. URBIS.
ROM. REIPUBLICAE.
AEQUO OLIM FOEDERE. SOCIATAE.

V. VIRIS.

AMPLISSIMISQUE. PATRIBUS. UNIVERSIS.
CONSILIO. SAPIENTIA. JUSTITIA.
SPECTATISSIMIS.
LITERARUM. ET. BONARUM. ARTIUM.
CULTORIBUS. FAUTORIBUS. PATRONIS.
QUOD.
VETUSTISSIMAE. URBIS. SUAE.
GLORIAM. ET. DECUS.
PROPAGATURI.
SACRAM. EJUS. ET. PROFANAM.
HYSTORIAM.
BONO. REIPUBLICAE.
DESCRIBENDAM. ATQUE. ILLUSTRANDAM.
CURAVERINT.

Digitized by Google

OCTAVIUS. TURCHIUS.
PYRANAE. S.URBANI ECCL. CANONICUS DECANUS
ANTISTITUM. CAMERTIUM. CHRONOTAXIM.
QUAM. AUCTORE. IN. PRIMIS.
IMMORTALIS. MEMORIAE. VIRO.
H. HENRICIO. S. R. E. PRESB. CARDINALI.
INTER. CAMERTES. CIVES. ADLECTO.
EORUMQUE. PATRONO.
PERTEXENDAM. SUSCEPERAT.
QUAMQ. EJUS. DUM. ADHUC. VIVERET.
OPE. ET. CONSILIO.
AC. LITERATORUM. HOMINUM. STUDIIS.
EODEM. PROCURANTE. ET. FAVENTE.
FERE. AD. UMBILICUM. PERDUXERAT.
NUNC. DEMUM. CONFECTAM.
AETERNUM. OBSEQUII. SUI. MONUMENTUM.
D. D. D.



Digitized by Google

AD ERUDITOS LECTORES PRAEFATIO.

N tandem aliquando celeberrimae Camerinenſis Eccleſiae hiſtoriam! Quas curas, vigiliaſque impenderim, ut auctam, correctamque Camertium Antiſtitum ſeriem in lucem ederem Lectores judices ſint. Opus ſane novum, & ab aliis intentatum hactenus; ſi Abb. Ferdinandum Ughellium excipias: cujus tamen noſtrorum Antiſtitum ſeries ſic mendoſa data eſt; ut, ſi quis ejus emendandae curam ſuſcipiat, is profecto arduam provinciam ſe aggreſſum eſſe facile intelligat. Neque vero eſt, cur quiſquam Ughellium improbet, hominem & eruditum & ſolertem, quali ſua culpa *horum Epiſcoporum* hiſtoriam vitiaverit, aut ea diligentia uſus non fuerit in illius Eccleſiae monumentis excutiendis, dirigendis, atque explicandis, qua accuratum, & induſtrium chronographum uti oportebat. Id enim non Ughellii culpa, ſed monumentorum accidit penuria, qua Eccleſiae Camerinenſis Tabularium laborat; factumque proinde eſt, ut Epiſcoporum ſeries tam imperfecta emerſerit. Conſtat enim anno 1515. Tabularium Eccleſiae Cathedralis inopinato incendio infauſtè fuiſſe abſumptum. (1) Fruſtra propterea ab hoc Archivo praeſidium erat expectandum ad reformandam Antiſtitum chronotaxim. At non propterea omnis ſpes erat abjicienda. Habent enim Tabularia ſua, & quidem ſatis copioſa Eccleſiae, & Oppida vel quondam Epiſcopis Camerinenſibus ſubjecta, vel quae in Camerinenſi dioeceſi continentur adhuc, e quibus profecto erui poſſunt documenta clariſſima, queis non tantum Epiſcoporum nomina, ſed & illorum non vulgaria acta erat colligere, quae ſi Ughellio innotuiſſent, non eſt dubitandum, quin multò utilius operam ſuam in Epiſcopis Camerinenſibus illuſtrandis impendiſſet.

Atque utinam eſſet aliquis, qui veteres chartas in Civitatum, atque Oppidorum hujus dioeceſeos tabulariis aſſervatas cum tineis blat-

(1) Lil. Iſt. di Cam. P. 1L. Lib. VIII. pag. 281.

Digitized by Google

blattisque colluctantes excuteret! quam ampla ibi suppellex cùm ad ecclesiasticam, tùm ad civilem historiam nostrarum Regionum locupletandam! Quam pretiosae ibi antiquitatis reliquiae, quibus nefas est aetatem nostram istarum rerum studiosissimam defraudari! Possum equidem expertus id dicere, qui quum unum Septempedanae, hoc est Sancti Severini Ecclesiae Archivum revolverem, ibi non solum Camerinensium Antistitum, quibus olim Civitas haec commissa fuit, acta praecipua, verum etiam plures Episcopos omnino ignotos reperi, & in mea Commentaria referre non ommisi, non animo quidem illorum Episcoporum chronotaxeos texendae, sed ut, si quis esset, qui opus aggredi vellet, materiem illi possem liberaliter suppeditare. At non ita factum est, ut cogitabam: amicorum enim stimulis ipsemet coactus sum Episcoporum horum seriem componere, illamque publici juris facere; & haec ipsa est, quae tandem typis vulgatur.

Unum interea, vel alterum praeloqui juvat, Lectores humanissimi, & nonnulla praeferre, quae & in me vestrum concilient amorem, & Opellae huic meae meorum Camerinensium nanciscantur humanitatem. Quod quidem his assequi haud difficile fore dijudico; si noverint, quicquid in hoc opere boni est, totum me debere immortalis memoriae *Henrico Cardinali Henriquez* Camerinensium Patrono amantissimo, & studiosissimo, Civique optimo: Viro morum integritate, indolis amoenitate, doctrinae excellentia, generis nobilitate praeclarissimo, qui dum in vivis ageret, tenerrimo amore Camertes, meque est complexus. Quid non egit, Princeps ille litterarum cultor, & Patronus eximius, & munificentissimus, Camerinensis Ecclesiae, & Civitatis gloriae consulturus? Vix compertum habuit a domno Gabriello Maria Guastutio Monaco Camaldulensi eruditissimo, meique amantissimo desudare me ad hanc historiam illustrandam, quum petiit Ipse ad hoc opus promovendum Clarissimorum Virorum subsidia, ad quos suas sponte litteras dedit; ut & ipsi mea foverent studia, & ad Camerinensis Ecclesiae gloriam monumenta mecum communicarent. Clarissimum Comitem *Josephum Garampium* Canonicum Vaticanae Basilicae, & secretioris Apostolici arcisque S. Angeli Archivi Praefectum quanam sollicitudine non est precatus *Henriquez* & voce, & litteris suis; ut, si quae ab illo tabulario documen-

Digitized by Google

menta praesto essent omnia ad mei operis ornamentum, Apostolica etiam implorata facultate, libentissime daret? quod & ille doctissimus Vir humanitate pene incredibili perfecit. Tandem, ut singula proferam, quae vestrum in me alliciant amorem, sic optimi Henriquez cordi adhaesit Opus hoc meum, ut penè moriens inter coetera, quae *Dominico Pannellio* a Secretis suo apprimè caro, Viro quippe probo, & erudito memoriae retinenda mandavit, illud etiam addiderit, ut me ad Opus hoc sollicitè exequendum impensius excitaret. Quid plura? Si huic Historiae praetixam habetis Dissertationem *De Civitate*, *& Ecclesia Camerinensi*; & in ea, & in serie Episcoporum Civilis historiae Camerinensis fundamenta posita & intertexta immortalis noster Henriquez Camerinensis Civitatis, & Ecclesiae gloriae ad extremum usque vitae halitum semper intentus illam a me exaratam voluit. Haec quidem argumenta sunt, quorum gratia non diffido fore, ut Vos libenti animo Librum meum sitis excepturi. Utinam in vivis esset Vir *ille doctissimus*, meique amantissimus! Majori sane benevolentia laborem hunc meum exciperetis maximè rati in lucem illum prodire gravissimo tanti Viri judicio adprobandum, ut suis ad me datis litteris iterum iterumque benignissimè testatus est.

Spe nihilominus non destituor, quin Commentaria haec mea, suo licet ac tanto Patrono orbata, bono tamen, hilarique vultu admittatis; quum fuerit vobis compertum illa sub trutina stetisse amplissimi, & doctissimi *Pompeii Compagnonii* Auximani, & Cingulani Antistitis erga Me omni humanitate pleni, & a Cardinali Henriquez hoc in honore habiti, ut aliis ad me scriptis litteris testatus sit, nil opportunius, nihilque optatius contingere posse ad difficultates, quae passim in hoc Opere exarando mihi occurrerent, diluendas, quam Compagnonium consulere, Virum quippe inter doctissimos Europae jure ac merito recensendum. (*a*) Percommodum id etiam accidit, quod mihi vetus intercedit necessitudo cum *Francisco Mario Raphaellio* V. C. litte-

(*a*) Ha poi ella gran senno a far capo in tutte le difficoltà all'incomparabile Monsignor Vescovo Compagnoni, che io considero non solo come splendore di cotesta Provincia, ma come uno de' maggiori letterati di Europa &c. Ravenna 3. Dicembre 1755.

Digitized by Google

rariae reipublicae satis superque noto; Is selectorum librorum copia, quibus partim avito, partim suo jure non refertam modo, & cumulatam, verum adeo in dies redundantem domum perfecit, ut in nostra Provincia praecipua habenda sit Raphaelliana Cingulana Bibliotheca, Is utique consilio, & opera longe fa i it laboribus meis. Insigne opus Annalium Camaldulensium in VI. usque adhuc Tomos vulgatum & elucubratum a doctissimis & celeberrimis Viris mei amantissimis Abbate *D. Jo: Benedicto Mittarellio*, & Lectore *D. Anselmo Costadonio* quantum ornamenti huic Operi meo contulerit, quantumque ad nostram historiam tam Sacram, quam civilem illustrandam profecerit, facile quisquis intelliget qui hujus Historiae paginas revolvere cordi habebit.

Tabularia, ad quae confugere opus fuit, illud in primis Cathedralis Ecclesiae San-Severini fuit, quod semel, & iterum revolvi. Ibi enim non solum schedae ad illam Ecclesiam spectantes servantur; sed & aliae permultae duorum insignium Coenobiorum Ordinis S. Benedicti *S. Mariae Vallisfocinae*, & *S. Mariani in Vallefabiana*; documenta pariter duorum insignium Parthenonum *S. Salvatoris de Colpresseto*, & *S. Mariae de Submonte*, de quibus in nostra serie opportunè differemus. Ad chartas hujus Tabularii revolvendas, & exscribendas suam mecum impendit operam nobilis, & humanissimus *Joannes Carolus Giroldus* illius Cathedralis Ecclesiae S. Severini veteris Capituli Canonicus, & Quaestor. Non pauca documenta ex Archivo Ecclesiae Cathedralis S. Venantii de Fabriano deprompta mecum munificè communicavit *Angelus Augustinus Butus*. Patricius, & Canonicus ejusdem Ecclesiae Vir doctrina, & eruditione clarissimus. Multa etiam documenta ab Archivis S. Blasii Monachorum Camaldulensium, & S. Catherinae Monachorum Montis Oliveti pariter Fabriani excerpsi opera, & industria laudati Domni *Gabrielis Guastutii* inter eruditos satis illustris. Ab historia ms. Genesina Marini Angeli Severini nonnulla etiam deprompsi. Ad has lucubrationes illustrandas suam pariter contulere operam *Torquatus Dionysius* Patricius Tolentinas, & *Joseph Castellanius* Patricius Montecchianus documentis e Tabulariis Tolentini, & Montecchii desumptis. Alia documenta ab aliis doctissimis, & clarissimis Viris nempe a *Petro Paulo Ginannio* Congregationis Casinensis Abbate, & ab *Annibale de Abbatibus* Oli-

Digitized by Google

verio accepi . *Bernardus Gentilius* Congregationis Oratorii , & Patricius San-Severinas quamplurima ex iis , quae ad illuſtrandam Piceni Provinciam ſolertiſſimè collegit , libentiſſime dedit . Hos omnes hic commemoratos volui , ut illis de me bene meritis gratiſſimum me probem . Illorum igitur Tabulariorum , & tot illuſtrium Virorum ſubſidio , ſi non plenam , ſane minus imperfectam Epiſcoporum Camerinenſium hiſtoriam daturum non diffido . Documenta ſelegi , quae ad illuſtranda Coenobia , Templa , & Caſtella Dioeceſis veteris , (*a*) & novae Camerinenſis opportuna viſa ſunt , quaeque Epiſcoporum vitam longius , quam antea fuerat excogitatum , perennant , illaque in Appendice documentorum produco . Stylum adamavi planum , clarum , & eccleſiaſticum , ut minus etiam peritis faciam ſatis . Scriptores , quibus in hoc Opere utor , eos ſum amplexatus , qui & doctiores , & ſeverioris eruditionis cultores habentur , quorum elogia brevitati conſulturus omitto ; quum unaquaeque illorum nomina digniora ſint , quam , ut poſſim elogia texere operibus eorum . His praelibatis , Auſpice Deo , ad rem veniamus .

(*a*) Veterem Eccleſiam illam dico , quae tot erat amplificata Dioeceſibus , quot numero in diſſert. praelim. Cap. IV. §. 1. pag. 36 , & ſeq. Novam verò illam appello , quae floret adhuc , quamvis Eccleſiis ſpoliata Urbeſalvienſi, Septempedana , Tollentinate , & forſan aliis .

Digitized by Google

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.
D. Archiep. Nicomed. Viceſgerens.

QUod praeclare, vereque a Cicerone dictum accepimus, optimum Civem rerum patriarum gloria ſummopere affici, nihilque illi eſſe jucundius, quam ut ea, quae ſuae Civitati acciderunt perhonorifica, ac fortunata ad omnem ſaeculorum poſteritatem tranſmittantur; id ſane Virum Clariſſimum OCTAVIUM TURCHIUM Patritium Camerinenſem impulit, atque inflammavit, ut vetuſtiſſima ſuae Camerinenſis Eccleſiae, Urbiſque decora, & ornamenta ſcripto mandaret eo Libro, quem inſcripſit: *De Eccleſiae Camerinenſis Pontificibus Libri VI. &c.* Hunc Ego, ut Reverendiſſimi Patris Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri juſſa facerem, ſedulo, conſideratequeperlegi: ut vero multa ab Auctore ex eruditae antiquitatis fontibus petita, inque lucem educta in illo ſuſpexi, ita nihil offendi, quod inviolandae Religionis jura, & caſtigatiorem morum doctrinam vel minimum laedat. Ita cenſeo &c. Romae ex Aedibus S. Silveſtri Montis Quirinalis IV. Id. Septembris CIↃIↃCCLXI.

Paulus M. Paciaudius C. R.

MAxima ſemper in laude poſitum fuit a doctiſſimis Viris celebriora antiquitatis monumenta ſtudioſe perſequi: de patriis verò rebus, ſive originibus, ſive praecipuis Hiſtoriae capitibus commentari, praeſertim ubi ex tenebris, ac ſqualore vetuſtatis excitentur, judicioque acri, & adcurato expendantur, atque inſtaurentur, longè omnium praeclariſſimum fuit ſemper exiſtimatum. Utrumque praeſtat V. C. OCTAVIUS TURCHIUS Patritius Camerinenſis in praeſenti Volumine *De Eccleſiae Camerinenſis Pontificibus* inſcripto, quod, ut mandatis Rmi P. Mag. S. Pal. Apoſtolici obſequerer, attentiſſime legi, cumque nihil in eo offenderim vel a Chriſtiana Fide, vel a Catholica Eccleſia diſſonum, imo ampliſſimam in eo omnigenae eruditionis penum ſuſpexerim, illud digniſſimum cenſeo, quod in lucem prodeat.

Datum Romae in Bibliotheca de Comitibus Kalendis Maji anni 1762.

Juſtinianus Orſini S. Indicis Congregationis Conſultor.

IMPRIMATUR.
F. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Praed. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

IN-

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICUS
DUCUM SPOLETANORUM.

Faroaldus Dux. 578. 583. *pag.* 6.
Ariulphus. 583. 601. 7.
Teudelapius florebat. 604. 651. 7.
Atto flor. 656. incertum, quo anno defecerit. 8.
Tranſmundus. 663. 702. 8.
Taroaldus II. 702. 724.
Tranſmundus II. 724. 740.
Hildericus. 740. 742.
Agibrandus. 742. 746. 9.
Lupus. 746. quo anno defecerit, non liquet.
Hunulphus. 752. 757.
Alboinus. 757. 758.
Giſulphus. 758. incertum, quo anno deſierit eſſe Dux.
Theodicius. 763. 772.
Hildebrandus. 774. 778.

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICUS

DUCUM, ET MARCHIONUM SPOLETANORUM, ET CAMERINENSIUM.

Guinichus Dux, & Marchio. 789. 822. *pag.* 13.
Suppo. 822. 823.
Adalchardus, *Maurigus*, *Sico* } 824. Brevi tempore defecerunt, & infra annum 824. Principatum tenuerunt. *Sico* quando defecerit non liquet.
Berengarius fl. 836. *Guido* I. fl. 843. } incertum quandiu regnaverint: 14.
Lambertus I. flor. 861.
Lambertus II. filius Guidonis I. flor. 876.
Guido II. Lamberti II. filius fl. 876, & una cum Patre regnabat.
Lambertus III. 894. 898.
Guido III. Lamberti III. filius 894. ad 898. una cum Patre regnabat, quo anno obierit incertum.
Ageltrudes post hos forte regnavit, quandiu nescimus. 15.
Albericus. 910. 915. 15.
Bonifacius forsan. 922.
Teobaldus quo anno vel *Alberico*, vel *Bonifacio* successerit, & quando defecerit incertum.
Anscarius successor *Theobaldi* obiit anno 940.
Sarlio. 940. 944.
Ubertus, *Bonifacius*, & *Tebaldus* simul } 944. 16.
Transmundus fl. 959.
Pandulphus 967. 981.
Transmundus II. 982. 984.
Ugo Magnus. 984. 999.
Adamarus 999, cui successit 17.
Johannes forsan, qui florebat. 1012. 1014.
Raimarus. 1014. 1018.

Ugo

Digitized by Google

Ugo II. 1020. computabat VI. ſui Principatus annum.
Tranſmundus III. fl. 1038.
Ugo III. 1040. 1043.
Victor Papa forſan 1043. 1048.
Gothifredus. 1059. 1070. quo ſuum obiit diem. 18.
Beatrix mater Mathildis. 1070. mox.
Mathildes una cum viro ſuo Gothifredo regnavit uſque ad ann. 1115. Et hic finem habuerunt Duces, & Marchiones Spoletani ſimul, & Camerinenſes.

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICUS
PONTIFICUM CAMERINENSIUM.

		pag.
I.	S. Leontius. 250. circ.	73.
II.	S. Gerontius. 465.	82.
III.	Bonifacius. 501.	83.
IV.	Glorioſus. 649.	91.
V.	Felix. 680.	92.
VI.	Solon. 750.	92.
VII.	Fratellus. 844.	95.
VIII.	S. Anſovinus. 850. cir. 861. cir.	96.
IX.	Anſelmus. 861.	97.
X.	Eudo. 944.	99.
XI.	Petrus. 963.	99.
XII.	Romualdus. 993.	144.
XIII.	Azo. 1029.	147.
XIV.	Atto. 1049.	148.
XV.	Ugo. 1059. 1095.	149.
XVI.	Laurentius. 1103. 1119.	174.
XVII.	Terramundus. 1122.	175.
XVIII.	Ugo II. 1135.	176.
XIX.	Todinus. 1146. 1166.	176.
XX.	Acceptabilis. 1171. 1186.	178.
XXI.	Atto II. 1192. 1223.	180.
XXII.	Raynaldus. 1223. 1226.	194.
XXIII.	Petrus, 1226.	196.
XXIV.	Philippus. 1230. 1246.	197.
XXV.	Joannes. 1246. 1260.	208.
XXVI.	Guillelmus. 1251. 1259.	208.
XXVII.	Guido. 1261. 1276.	215.
XXVIII.	Rambottus. 1285. 1305.	222.
XXIX.	Andreas. 1308. 1310.	245.
XXX.	Berardus. 1310. 1327.	246.
XXXI.	Franciſcus I. 1328. 1355.	252.
XXXII.	Giojoſus 1356. 1360.	256.

Digitized by Google

XXXIII. Fr. Marcus. 1360. 1373. 259.
XXXIV. Giojosus iterum. 1374. 1375. cir. 262.
XXXV. Benedictus II. 1379. 1387. 264.
XXXVI. Nutius. 1390. 1407. 272.
XXXVII. Joannes. 1407. 1432. 277.
XXXVIII. Pandulphus. 1432. 1437. 280.
XXXIX. Albertus. 1437. 1445. 285.
XL. Baptista. 1445. 1449. 288.
XLI. Malatesta. 1449. 1459. 289.
XLII. Alexander. 1460. 1463. 291.
XLIII. Agapitus. 1463. 1464. 292.
XLIV. Andreas II. 1464. 1472. cir. 292.
XLV. Agapitus iterum. 1472. cir. 1480. 294.
XLVI. Silvester. 1480. 1482. cir. 294.
XLVII. Fabricius. 1482. 1508. 296.
XLVIII. Franciscus II. 1508. 1509. 301.
XLIX. Ant. Joannes. 1509. 1535. 301.
L. Jo: Dominicus. 1535. 1537. 304.
LI. Berardus II. 1537. 1574. 305.
LII. Alphonsus. 1574. 1580. 308.
LIII. Hieronymus. 1580. 1596. 310.
LIV. Gentilis. 1596. 1601. 314.
LV. Innocentius. 1601. 1606. 318.
LVI. Joannes. 1606. 1622. 319.
LVII. Caesar. 1622. 1623. 320.
LVIII. Jo: Baptista. 1624. 1627. 321.
LIX. Aemilius. 1627. 1666. 323.
LX. Jacobus. 1666. 1687. 330.
LXI. Franciscus III. 1693. 1702. 333.
LXII. Bernardinus. 1702. 1719. 333.
LXIII. Cosmus. 1719. 1736. 342.
LXIV. Hippolytus. 1736. 1746. 343.
LXV. Franciscus IV. 1746. Vivit, & diu vivat. 344.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM TOTIUS OPERIS.

DISSERTATIONIS PRAELIMINARIS

CAPUT I.

DE Civitate Camerinensi. pag. 1.

CAPUT II.

De ortu Ecclesiae Camerinensis. 26.

CAPUT III.

De ambitu Dioeceseos Camerinensis. 30.

CAPUT IV.

De progressu Dioeceseos, sive de Dioecesibus Camerinensi Episcopo commendatis. 36.

CAPUT V.

De temporali Camerinensium Episcoporum jurisdictione. 55.

CAPUT VI.

De illustrioribus Ecclesiis, sanctisque Viris Camerinensis Dioeceseos. 61.

LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

DE Leontii Episcopatu, & sanctitate & de cultu S. Venantii. 73.

CAPUT II.

De Gerontio, & Bonifacio. 82.

CAPUT III.

De S. Victorino, ejusque suppositio Episcopatu Camerinensi. 83.

CAPUT IV.

De Episcopis vij, & viij. Seculi. 91.

CAPUT V.

Statuitur aera Episcopatuum S. Ansovini, & Fratelli, & agitur de Anselmo, & Celso Episcopis ix. Seculi. 93.

CA-

CAPUT VI.
De Eudone Episcopo florente Seculo x, & de ejus successore Petro. 99.

CAPUT VII.
De S. Severini Episcopi Septempedani emortuali die, & anno; illiusque Sacri Corporis translatione, & inventione. 103.

LIBRI SECUNDI

CAPUT I.
DE *primo adventu S. Romualdi ad Vallem de Castro.* 114.

CAPUT II.
De Monasterio juxta Oppidum Esculanum. 120.

CAPUT III.
De Aqua-bella ubi Romualdus mansit. 126.

CAPUT IV.
De aera fundationis Eremi Camaldulensis. 135.

CAPUT V.
De Episcopis Romualdo, Azone, & Attone. 144.

CAPUT VI.
De Ugonis I. Episcopatu. 148.

LIBRI TERTII.

CAPUT I.
DE *S. Venantio Albacinensi.* 159.

CAPUT II.
Forte fuit Episcopus Tuscanus vel etiam non Episcopus, sed Martyr. 164.

CAPUT III.
Forte fuit Episcopus Africanus. 167.

CAPUT IV.
Venantii cultus apud Fabrianenses propagatus. 169.

CAPUT V.
De Episcopis Laurentio, Terramundo, Ugone II, Todino. 174.

Digitized by Google

CAPUT VI.
De Acceptabili, & Attone II. Episcopis. 177.

LIBRI QUARTI

CAPUT I.
Continuantur res gestae ab Attone II. 183.

CAPUT II.
De Raynaldo Episcopo. 188.

CAPUT III.
De Petri II. Episcopatu. 192.

CAPUT IV.
De Philippo Camerinensis Ecclesiae Episcopo, & de supposito Regino. 197.

CAPUT V.
De Joanne Episcopo, ejusque successore Guillelmo. 206.

CAPUT VI.
De Episcopo Guidone. 215.

CAPUT VII.
De Episcopo Rambotto. 222.

LIBRI QUINTI

CAPUT I.
De Andrea, & Berardo Episcopis. 243.

CAPUT II.
De Francisco I, & Giojoso Episcopis. 252.

CAPUT III.
De Fr. Marco, & de Giojoso iterum Episcopo. 257.

CAPUT IV.
De Benedicto II, & de supposito Episcopatu Joannis, & de Nutio. 264.

CAPUT V.
De Episcopis seculi XV. De Joannis II. Episcopatu. 275.

CAPUT VI.
De Pandulpho, Alberto, Baptista, & Malatesta Episcopis. 280.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.
De Alexandro, Agapito, Andrea II, iterum Agapito, Silvestro, & Fabricio Episc. 290.

LIBRI SEXTI.

CAPUT I.
Francisci II. Episcopatus; & Antonii Jacobi. 299.

CAPUT II.
Agitur de Episcopis Dominico, Berardo II, & Alphonso. 304.

CAPUT III.
Hieronymi, & Gentilis Episcopatus amplectitur. 309.

CAPUT IV.
Innocentii, & Joannis gesta recolit; eorumque successoris Caesaris. 317.

CAPUT V.
Joannis Baptistae, & Aemilii de Alteriis acta. 321.

CAPUT VI.
De Jacobi Card. Fransonii, Francisci Justi, & Bernardini Belluti Episcopatibus. 330.

CAPUT VII.
De Civitate, & Ecclesia Fabrianensi Praeloquium. 337.

CAPUT VIII.
De Cosmo I. Episcopo Fabrianensi; De Hippolito Fabrianensi Episcopo II. De FRANCISCO IV. *Camerinensi, & III. Fabrianensi Episcopo.* 342.

CAPUT IX.
De miraculoso sanguineo humore e corpore B. Matthiae Virginis Matthilicensis emanato anno 1759. 345.

CAPUT X.
De cultu praestito B. Matthiae, ejusque vitae factis. 350.

Digitized by Google

INDEX RERUM

Quae in Appendice Documentorum habentur.

Angeli Augustini Buti Canonici Cathedralis Ecclesiae Fabrianensis. De unico Giojoso inter Camerinenses Episcopos adnumerando. Dissertatio Apologetica. i.

De Origine, & Fundatione Monasterii Claravallensis de Flastra. Dissertatio. viii.

944. Eudo Episcopus Camerin. aedificat Ecclesiam prope San-Severinum, & censum illi assignat. xv.

1015. Attonis Comitis, & Bertae Comitissae amplissima donatio favore Monasterii S. Angeli infra Ostia. xvii.

1033. Concordia inter Attonem Abbatem S. Victoris de Clusis, & Gisebertum Abbatem S. Urbani de Asinaute. xx.

1040. Bertae Comitissae donatio favore Coenobii Sancti Angeli infra Ostia. xxi.

1046. Rodulphi quondam Corradi donatio favore S. Venantii de Fabriano. xxii.

1061. Privilegium Ugonis Episc. Camerini pro Ecclesia Sancti Severini. ibi.

1094. Ugo Episcopus Camerin. donat quaedam bona Monachis S. Mariani. xxiv.

1117. Berardus filius Massarii concedit Garnerio Duci, & Marchioni, & Altradi ejus uxori terras, quas habet in loco, qui nominatur in monte S. Genesii. xxiv.

1119. Laurentius Episcopus Camerini jure emphyteutico cedit Warnerio Marchioni, & Altrudae Comitissae, ipsorumque filio Warnerio Castellum Sancti Severini, quaedam Monasteria, & bona. xxv.

1122. Transmundus Episcopus Camerinen. donat quaedam bona Coenobio S. Mariani. xxvi.

1135. Gualderii donatio terrarum Ecclesiae S. Mariae Camerini. xxvii.

1156. Bonfilii de Raino donatio pro Ecclesia Sancti Angeli infra Ostia. xxviii.

1171. Donatio Acceptabilis Episc. Camerinen. terrarum, & plurium Ecclesiarum favore Petri III. Abbati Coenobii S. Michaelis Arcangeli de Domoris. xxviii.

1177. Fridericus I. Imperator donat Ecclesiae S. Severini Campum de Cesano. xxix.

Ale-

Digitized by Google

1178. *Alexandri III. privilegium pro Canonica S. Severini.* xxx.
1180. *Marcavallus filius de Albertino Comite donat Monaſterio Sancti Angeli infra Oſtia medietatem plebis Sanctæ Anatolie.* xxxii.
1184. *Lucius Papa III. ſub protectione Sanctæ Sedis recipit Monaſterium Vallis focinae.* xxxiii.
1186. *Carta Emphyteuſis facta ab Acceptante pluribus conſortibus.* xxxv.
1192. *Celeſtini III. Privilegium pro Monaſterio Riguli ſacri in Cam. Dioec.* xxxvi.
1192. *Concordia inter Attonem Epiſcopum Cam. & Conſules, & Commune Fabriani.* xxxix.
1195. *Concordia inter eundem Attonem Epiſcopum, & Domnum Martinum Priorem Camaldulenſem, & Nicolaum Abbatem S. Helenae.* xli.
1197. *Celeſtini III. privilegium pro Canonica S. Severini.* xlii.
1198. *Innoc. III. privilegium pro Monaſterio S. Angeli infra Oſtia.* xliv.
1198. *Confederatio Conſulum Camerini cum Conſulibus Monticuli.* xlvii.
1198. *Innocentii III. privilegium pro Canonica S. Severini.* xlviii.
1199. *Innocentii III. privilegium pro Coenobio S. Mariani.* l.
1209. *Concordia inter Monachos Vallis-focinae, & inter Priorem Canonicae S. Coronati.* lii.
1213. *Concordia inter Attonem Epiſcopum, & Severinum Vgolini Alti Priorem S. Severini, & Canonicos.* liv.
1218. *Atto Epiſcopus aedificat Eccleſiam, & Hoſpitale Buraci.* lvi.
1218. *Privilegium Attonis Epiſcopi pro Vaſculo Plebano plebis Bovelliani.* ibi.
1224. *Raynaldus Epiſcopus confirmat privilegium Attonis Epiſcopi Monialibus S. Salvatoris San-Severini.* lx.
1226 *Aggregatio Militum dominantium in Caſavolla, in cives Pyranos, & ejuſdem Caſtri venditio Communi caſtri Pyri.* lxi.
1227. *Excommunicatio Raynaldi Epiſcopi in Pyranos.* lxiv.
1227. *Honorii III. litterae Apoſtolicae, quibus praecipitur Camerinenſibus ne recipiant imo ejiciant Vgolinum Vgolini.* ibi.
1227. *Aggregatio inter Pyranos Cives Andreae Vgolini de Montecle.* lxv.
1230. *Commune Cinguli ſub ſua tutela recipit hoſpitale Buraci & Fratres ibi commorantes.* lxvi.
1233. *Philippus Epiſcopus dividit decimas perſolvendas Menſae Epiſcopali ab Eccleſiis Plebis Sanctæ-Anatoliae.* lxviii.
1235. *Philippus Indulgentias confert Eleemoſynas largientibus Sororibus*

bus S. Mariae Magdalenae de Matelica, Oratorium, & Monaſterium aedificantibus. LXX.

1237. *Domnae Roſae deditio ſui ſuorumque bonorum Monaſterio, & Eccleſiae S. Mariae Magdalenae de Matelica, in quo Monaſticum habitum induit.* LXXI.

1239. *Submiſſio hoſpitalis Buraci Fr. Cruciferis Pontis Potentiae.* LXXII.

1240. *Privilegium Synibaldi tt. S. Laurentii in Lucina pro Camerinenſibus.* LXXIII.

1241. *Philippus Epiſcopus accurrit indigentiis Monachorum S. Mariani.* LXXIV.

1242. *Philippus confirmat jura Monachorum S. Mariani in quibuſdam Eccleſiis Caſtri Carpignani.* LXXVI.

1247. *Literae Apoſtolicae Innocentii IV, quibus duodenarium Canonicorum numerum in Cathedrali Eccleſia Camerini firmat.* LXXVIII.

1251. *Fragmentum Bullae Innocentii IV, pro Monachis Sancti Urbani de Aſinante, quos ſub Sedis Apoſtolicae tutela recipit.* LXXVIII.

1253. *Guillelmi diploma pro Monachis S. Mariani.* LXXIX.

1254. *Guillelmus Epiſcopus transfert Fontem Baptiſmalem Eccleſiae Attidiatis ad Eccleſiam S. Venantii de Fabriano.* LXXX.

1256. *Guillelmus concedit Monachis de Domoris Eccleſiam S. Zenonis cum omnibus ejus juribus.* LXXXII.

1257. *Guillelmus vendit Caſtrum Alifurni Communi San-Severini.* LXXXIII.

1260. *Alexandri IV. Bulla ad Rambottum Canonicum Camerinenſem, ut componat lites inter Monachos S. Angeli infra Oſtia, & Capitulum S. Venantii de Fabriano.* LXXXV.

1261. *Guido Epiſcopus confirmat jura Monachorum S. Mariani in Caſtro Riparum San-Geneſii.* ibi.

1261. *Ejuſdem Guidonis diploma, quo confirmat Monachis S. Mariani licentiam aedificandi Eccleſiam prope, vel in Caſtro San-Severini.* LXXXVII.

1266. *Rodulphi Epiſcopi Albanenſis diploma favore Beatae Sanctutiae de Eugubio.* LXXXVIII.

1268. *Guido Epiſcopus dat diploma favore Sororum commorantium in Domo poſita in plano Matbilicae.* LXXXIX.

1270. *Idem Epiſcopus Guido iiſdem Sororibus licentiam dat ut regulam S. Benedicti recipiant.* ibi.

1270. *Epiſtola Communitatis Matbilicae eligentis Guidonem Epiſcopum Rectorem ad annum illius Caſtri.* XC.

1271. *Matthia filia q. Guarnerii D. Gentilis Lazarii offert ſe, & ſua Monaſterio S. Mariae Magdalenae de Matbelica.* XCI.

Ram-

Digitized by Google

1272. *Ramboctus Archidiaconus Camerini immittit in poſſeſſionem Prioratus S. Chriſtophori de Monte Nigro Dominum Bentivolium Benvenuti de Cingulo.* xcii.

1273. *Thomae Praepoſiti Fanenſis Vicarii Generalis Marchiae diploma, quo Guidonis Epiſcopi confirmat conceſſionem factam Fr. Rainaldo Topini Ord. S. Benedicti a Monialibus Sanctae Mariae Magdalenae de Mathelica ejuſdem ordinis de loco qui dicitur, le trocche.* xcii.

1278. *Bulla Nicolai III. ad Abb. S. Victoris de Cluſis pro componenda lite inter D. Ballionium de Peruſia, & Communitatem Munticuli.* xciii.

1284. *Dopnus Gratia Abb. S. Victoris de Cluſis Nuncium mittit Abbatiae in manibus Capituli Camerini.* xciv.

1285. *Bulla Honorii IV. ad Ramboctum ordinatum Epiſcopum Camerinenſem.* xcv.

1286. *Ejuſdem Honorii litterae ad Ramboctum Epiſcopum, ut ſuſpendat admittere in poſſeſſionem Eccleſiae Collegiatae S. Sebaſtiani Camerini Fratres Praedicatores.* xcvii.

1287. *Ramboctus Epiſcopus unit Monaſterium S. Agathae cum Monaſterio S. Mariae Magdalenae de Mathilica.* xcviii.

1288. *Nicolai PP. IV. literae ad Ramboctum Epiſcopum, cui datur facultas teſtandi.* c.

1293. *Ramboctus Epiſcopus confert indulgentias Eccleſiae hoſpitalis Sancti Pauli Ord. Cruciferorum extra San-Severinum.* ci.

1300. *Diploma nonnullorum Epiſcoporum conferentium indulgentias Eccleſiae S. Laurentii in Doliolo.* cii.

1302. *Charta Monachorum S. Mariae de Apennino favore Eremitae S. Salvatoris, & Petri de Aquabella.* ciii.

1304. *Bulla Benedicti XI. ad Epiſcopum Auximanum pro Rambotto, & alios de Clero Civitatis, & Dioeceſis Camerini.* civ.

1305. *Rambottus Epiſcopus vendit Fr. Minoribus domum cum platea, & duas campanas in oppido San-Geneſii.* cv.

1305. *Idem Rambottus licentiam dat alio transferendi reliquias S. Petri Fr. Minoribus cum multis privilegiis.* cvi.

1305. *Abbas S. Euſtachii de Domoris una cum Monachis incolens Monaſterium S. Nicolai prope moenia Sanſeverini eligit procuratorem ad ſtatuenda quaedam ſua jura cum Capellanis Eccleſiarum ſuarum in agro Pitini, & cum quibuſdam nobilibus.* cvii.

1306. *Mandatum procurae populi Pyrani pro obtinenda abſolutione a cenſuris.* cviii.

1306. *Abſolutio populi Pyrani a poenis, & cenſuris, tanquam non reperti culpabiles.* cix.

Char-

Digitized by Google

1307. *Charta Monachorum S. Mariae de Apennino pro Eremita Sancti Salvatoris, & S. Petri de Aquabella.* cx.
1308. *Joannis Episcopi Nucerini Vicarii Generalis Andreae Episcopi Camerinensis sententia in quaestione inter Priorem & Capitulum S. Venantii de Fabriano, & Joannem Todini de Fabriano.* ibi.
1310. *Arnaldi Card. Sedis Apost. Legati diploma favore Abbatis, & Monachorum Sanctae Mariae de Apennino.* cxi.
1318. *Berardi diploma favore Monasterii S. Victoris de Clusi, & Parthenonis infra saxa.* cxii.
1320. *Joannis XXII. Apost. litterae ad Amelium Praepositum Bellimontis contra Comites de Monteferetro.* cxiii.
1324. *Joannis XXII. aliae Apost. litterae ad Potestatem, Consilium, & Commune Castri Pirae.* cxviii.
1325. *Ejusdem Joannis XXII. aliae litterae ad Episcopum Casinensem & Guillelmum de Veraco Apostolicae Sedis Nuncios.* cxix.
1327. *Berardi Episcopi diploma pro unione Monasterii S. Mariani cum illo S. Mariae Vallisfocinae.* cxx.
1344. *Stellutia Bartholomaei Alberti de San-Severino Monasticam vestem induit in parthenone Sanctae Mariae Magdalenae Matbilicae.* cxxii.
1346. *Instrumentum procurae Communis Castri Pyri ad recipiendum Smedutium Nutii D. Rainaldi in Castellum Pyri.* cxxiii.
1349. *Franciscus Episcopus reducit numerum Canonicorum Canonicae S. Severini ad octo Canonicos cum suo Priore.* ibi.
1355. *Scheda Franciſci Episcopi favore Monachorum S. Victoris de Cluso.* cxxiv.
1359. *Instrumentum procurae Giojosi Episcopi Camerini pro permutando Episcopatu cum Fr. Marco Episcopo Pennensi, & Adriensi.* cxxv.
1361. *Fr. Marci Episcopi Camerinensis indulgentiae collatae Ecclesiae S. Mariae de Mercato San-Severini.* cxxvii.
1361. *Ejusdem Fr. Marci Episcopi indulgentiae concessae Ecclesiae Fr. Min. de Amandula.* cxxix.
1366. *Ejusdem Fr. Marci Episcopi comminatio censurarum aliarumque poenarum contra quosdam Clericos incontinentes Montecchii.* cxxx.
1370. *Ejusdem Fr. Marci Episcopi diploma favore Rectoris Ecclesiae Sancti Christophori de Montenerio in agro Cingulano.* cxxxi.
1372. *Diploma Fr. Marci Episcopi favore singularum Ecclesiarum, & utriusque sexus incarceratorum Fabriani.* cxxxii.
1374. *Giojosi Episcopi iterum Camerinensis apocha remissionis* LX. *lib. denar. favore Gratiosi fil. Monaldutii de Fabriano.* cxxxv.

Ur-

1379. *Vrbani VI. Apoſtolicae litterae pro abſolvendis a cenſuris hominibus, & Communibus San-Severini, Pyri, Staphili &c.* cxxxvi.

1381. *Diploma Benedicti Epiſcopi ad ſingulos Catholicos Epiſcopos cum facultate inaugurandi Eccleſias S. Franciſci, & S. Salvatoris Pyri.* cxxxix.

1384. *Ejuſdem Benedicti Epiſcopi diploma favore quarundam religioſarum pro aedificando Oratorio juncto illarum domui S. Severini.* cxl.

1388. *Abſolutio reportata a Pyranis a variis exceſſibus a Card. Andrea Vicario Generali in Marchia Anconitana.* cxli.

1398. *Nutius Epiſcopus conſtituit Sanſeverini ſuum Vicarium Priorem Eccleſiae S. Severini.* cxliii.

1404. *Inſtrumentum permutationis quorumdam bonorum ſpectantium ad Archidiaconum Camerini, & Monachos Montis Oliveti de Fabriano.* cxliv.

1406. *Litterae Apoſtolicae Innocentii VII. favore Hunuphrii Colae Smedutii de San-Severino.* cxlvii.

1416. *Concilium Conſtantiae dominis de Varano Foeuda ab ipſis poſſeſſa confirmat.* cxlix.

1420. *Joannes Epiſcopus unit Monaſterio S. Blaſii Fabriani quaſdam Eccleſias.* cli.

1421. *Joannes Epiſcopus unit plebem S. Andreae in diſtrictu Tolentini ſitam cum Capella S. Jacobi, ibique ſtatuit unum Priorem, & duos Canonicos.* cliv.

1429. *Diviſio Caſtrorum Dominorum de Varanis in quatuor partes facta a Joanne Epiſcopo.* clv.

1435. *Abſolvitur ad cautelam a Pandulpho Epiſcopo ab irregularitate Fr. Julianus Ord. Cruciferorum San-Severini.* clxi.

1445. *Alberti de Albertis Card. Epiſcopatus Camerinenſis perpetui Commendatarii litterae ad Capitulum & Canonicos S. Venantii de Fabriano.* clxiv.

1468. *Litterae Apoſtolicae Pauli II. ad Epiſcopum Recanatenſem & Abbatem S. Victoris de Cingulo ad componendas querelas Dioeceſis Camerini contra Andream Epiſcopum.* clxv.

1472. *Indulgentiae a nonnullis Cardinalibus conceſſae Eccleſiae S. Vrbani de Pyro Ord. Camaldulenſis.* clxvi.

1481. *Diploma Silveſtri Epiſcopi favore Eccleſiae S. Crucis de Civitella de Cingulo.* clxvii.

1489. *Innocentii VIII. Litterae Apoſtolicae pro unione Abbatiae Vallis Focinae Collegiatae Eccleſiae San-Severini.* clxviii.

1524. *Clementis VII. bulla favore Monialium S. Mariae Magdalenae de Mathelica.* clxxii.

Iu-

Digitized by Google

1588. *Instrumentum inaugurationis Ecclesiae Cathedralis Camerini.* CLXXIII.

1597. *Litterae Apostolicae Clementis PP. VIII. quibus componitur lis inter Episcopum, & Capitulum Camerinense, cui conceditur facultas praesentandi ad Parochiales Ecclesias intra flumina Clentis & Potentiae positas.* CLXXV.

1732. *Decretum Conciſtoriale favore Communitatis & Cleri Camerini in causa vertente inter illos & Ecclesiam S. Nicolai Collegiatam Fabriani.* CLXXIX.

1748. *Breve fel. recordationis Papae Benedicti XIV. quo confirmatur Decretum S. Congregationis Concilii, quae prohibet erectionem Fontis Baptismalis in Ecclesia Collegiata Sancti Venantii.* CLXXX.

DE

Digitized by Google

DE CIVITATE ET ECCLESIA CAMERINENSI

DISSERTATIO PRAELIMINARIS

IN SEX CAPITA DISTRIBUTA

CAPUT I.

De Civitate Camerinenſi.

I. Civitatis Camerinenſis origo, & antiquitas.
II. Status Civitatis ſub R. Republica, & Imperatoribus.
III. Conditio Camerini temporibus barbaricis.
IV. Ejuſdem fortuna ſub Spoletanis Ducibus.
V. Ducum Spoletanorum ſeries.
VI. Vicillitudines Civitatis ſub Marchionibus.
VII. Marchionum Camerinenſium ſeries.
VIII. Status Camerinenſis Reipublicae extinctis Marchionibus.
IX. Camerinenſis Civitatis hodierna jura, & politia.
X. Monumenta antiqua Civitatis.

§. I.

I celebriores inter Italiae, immo vero Chriſtiani orbis Eccleſias jure ac merito Camerinenſis Eccleſia eſt recenſenda; Civitatem ipſam Camerini, ubi tam inſignis Eccleſia eſt conſtituta, antiquitate, ſplendore, & majeſtate nulli ſecundam firmiter tenendam eſſe dijudico. Acturus igitur de praeclariſſimis illius Eccleſiae praerogativis, ejuſque Epiſcoporum ſeriem, & acta diſpoſiturus; optimum fore duxi aliquid praelibare de ejuſdem civitatis ornamentis; de illius nempe origine, & antiquitate, de praeſtantia, & fortuna: ut exinde ad tempora veniamus, queis conſtituta ibi cathedra cum epiſcopis ſuis, una cum eorum ſerie, & actis civilia illius urbis facta contexere poſſim.

Camerinum civitas eſt intra fines Umbriae (1) loco tutiſſimo ſita

(1) Ita omnes Geographi contra illos, qui in Piceno ſtatuunt Camerinum; vel quia illud in Egidianis conſtitutionibus inter loca Piceni ſitum recenſent; vel quia Otto IV.

Digitized by Google

ſuo ſatis nomine celeberrima memorata a Strabone, Ptolomaeo, Plinio, Silio Italico, Caeſare, Cicerone, aliiſque antiquis ſcriptoribus.

Ad hujus civitatis originem, & primordia expiſcanda laborare, idem eſt, ac ad ſomnia incumbere. Cluverius forte ab Cluſii ruinis ortum habuiſſe Camerinum putat (1); Cluverium Papebrochius ſequitur (2). Camillus Lilius in ſua Camerinenſi hiſtoria hanc, & alias aliorum conjecturas profert: (3) nil tamen ex his veri aſſequimur.

Jacet Camerinum ſcopulis adnixum ad meridiem *Sanſeverini* VII. mill. paſs. ad Boream Fulginei XX. mill. paſs., ad orientem Firmi XXXV. mill. paſs. diſtitum. Ejus latitudo, ut habet Voſgien in ſuo Dictionario hiſtorico (4) eſt gr. 43. 3. longitudo gr. 30. 43. Nuperrimis vero obſervationibus V. V. C. C. Chriſtophori Maire, & Rogerii Boſcovich Soc. Jeſu (5) latitudo eſt gr. 43. 6. 25. longitudo gr. 30. 56. 33. Habet agrum conterminum agro Sanſeverinati, & intra Umbriam undequaque reſtrictum.

§. II.

QUod antiquitatem & ſplendorem Camerinenſis populi tuto probat eſt: noſtros Camerinenſes cum Gallis *Bojis*, & Senonibus pro R. Republica proelium iniiſſe anno ab Urbe C. 537. Patet ex Silio Italico (6) infelici tamen fortuna. Pari adverſa ſorte contra Annibalem ad Cannas attriti ſunt anno ab U. C. 538. ex eodem Silio. (7) Livius (8) ſcribit Camerinenſes ante annum ab U. C. 548. *aequo foedere* cum Romanis fuiſſe jam junctos. Foedus cum Romanis a Camerinenſibus fuit initum anno ab U. C. 444. quo M. Fabius cum familiari ſuo Ciminios Saltus ſupergreſſus Camerinum pervenit. Facti feriem dat Livius, cujus auctoritate validiſſimè foedus iſtud comprobatur. Scribit enim (9) *Penali latere, qua fines erant Picentium, novum condidiſſe, cui priſcae ſedis nomen inditum.*

IV, qui Marchionem anconitanum dixit Attorem Eſtenſem inter loca Marchiae Camerinum adnumerat. (Compagn. Reg. Pic. p. 1. lib. 2.) Ibi de Camerino politicè, non vero geographice ſermo habetur.

(1) Ital. Antiq. lib. II. cap. VI. ſcribit: *Cluſium Etruriae opidum antea appellatum fuiſſe Camars, & Camers cap. I. III. & IV. oſtenſum eſt. Circa annum ante Jeſum natum 1513. immigraſſe in Etruriam Pelaſgos infra lib. I. oſtendetur. Nil igitur credibilius, quam incolas opidi trans-tiberini Camertes, cum a Pelaſgio pellerentur in iſtas Umbriae Ciſtiberinae partes ſe recepiſſe, opidumque ibi in ipſo Apennini ſeptemtrio-*

(2) In comment. praev. ad act. S. Ven. XVIII. Maji.

(3) Part. I. lib. I. pag. 3. & 4.

(4) Diction. hiſt. portat lit. C.

(5) Opuſ. 3. de expedit. per pontif. Dit. pag. 187.

(6) Lib. 4. (7) Lib. 8.

(8) Lib. 28. cap. 45. Joannes Duiatius in notis ad Livium id eveniſſe putat anno ab U. C. 548. Publ. Cornel. Scip., & Publ. Licin. Coſs.

(9) Summam Camerini antiquitatem, & po-

Perusini, *Clusini*, *Rusellani abietem in fabricandas naves*: *Umbriae populi ..... Milites polliciti*: *Marsi*, *Peligni*, *Marrucinique multi voluntarii nomina in classe dederunt*. *Camertes*, *cum aequo foedere cum Romanis essent*, *cohortem armatam sexcentorum hominum miserunt*: Quid ad hæc, qui *aequum foedus* non cum *Camertibus*, sed cum *Clusinis* ictum esse contendit? En inter populos cum Romanis sociatos ad bellum contra Anibalem, *Clusinos*, & *Camertes*. Ad annum igitur 444. hoc foedus est referendum; & propterea Camertes ut foederatos anno 548. Cohortem DC. Camerinensium in debellanda Cartagine ad Scipionem misisse asserendum est. A Romanis propterea Camerinenses nunquam domitos fuisse, sed cum Romanis semper amicitiâ junctos, & foedere strictos fatendum.

Grande etiam societatis, & amicitiae dederunt testimonium Romano populo *Camertes*, quum Cajus Marius anno ab U. C. 550. ad Cimbros expugnandos, e Galliis revocatus, & contra illos progressus mille Camerinensium praesidio certamen iniit; tantoque ardore a Camerinensibus pugnatum est, ut Marius videns illos *Mira virtute vim Cimbrorum sustinentes*, *in ipsa acie adversus conditionem foederis Civitate donaverit*, *dicens*: ESTOTE CIVES, ET PUGNATE CAMERTES: Sic Valerius Max. (1), & Plutarchus (2).

Excitato postea bello sociali, seu italico anno ab U. C. 663. Camerinensi populo, totique Umbriae, & Etruriae, qui omnes minime huic bello se se implicuerant, civitas Romana data est. (3) Tunc Camerinum ad haec usque tempora aequo foedere cum Romanis sanctissime junctum ad conditionem Municipii, & ad jura Civitatis Romanae transiit (4) & exinde Camerinensis populus ea libertate semper

 usus

potentiam Cluverius probat ex lib. 9. cap. 16. Livii: *Consul quippe* (scribit Cluverius) *Quintus Fabius Max. cum C. Mario Rutilio* [corrige C. Martio Rutilio] *fuit anno ab U. C. 449. ideſt ante natum Jesum 309. quo tempore jam florentem*, *potentemque fuisse urbem Camerinam ex foedere patet*. Dujatius foedus hoc ictum fuisse anno 444. parum credibile putat. Praeter Dujacium Franciscus Marianus V. C. ingenio, eruditione, & eloquentia praestantissimus, foedus hoc cum Camerinensibus aperte negat, contenditque actum cum Clusinis. Doctissimus P. Philippus Camerinius contra Mariani argumenta, patriae vetustum decus defendit, ut veritati, & rationi cedendum esse nemo non judicet, qui utrorumque Scriptorum opuscula legat.

(1) Lib. 5.

(2) In vita Marii.

(3) Vell. Paterc. lib. 1. Oros. lib. v. Calm. Tom. III. lib. XXXIX. Istor. univ. pag. 644. edit. Ven.

(4) *Aequm foedus* Camerinensium cum Romanis ex Livio certum est. *Civitas* Romana a C. Mario mille illis Camertibus data nequit in dubium revocari testimonio Cic. in Orat. pro Cornel. Balb. Val. Max. lib. V., & Plut. in vit. Marii *Societatem* a Septimio Severo cum Romanis firmatam Camerinensibus probat lapides illa inscriptio, quam profert Lilius P. 1. lib. 1. pag. 31: quod monumentum ipsi Imperatori ob illis *in aeternam securitatem*, *atque* glo-

Digitized by Google

uſus eſt ad Ariulphum uſque Langobardorum Regem, qui Camerinum primo forte occupavit ex infra dicendis.

Principatum exinde Romanum anno ab U. C. 685. apetiit Catilina M. Tull., & C. Ant. Coſs. ſuae conjurationis fautorem habuit L. Septimium quemdam Camertem, quem in agrum Picenum miſit (1) ad hujus Provinciae populos in Romanam rempublicam impellendos. Camerinenſes vero fidem Romanis ſervarunt.

Conſpiravit tandem, & quidem feliciori ſucceſſu, in R. rempublicam C. Caeſar anno ab U. C. 699. Camerinenſes ſuas miſerunt copias R. populo. Vibullus, qui *ex finitimis regionibus, quas poteſt, contrahit cohortes ex delectibus Pompejanis, in iis Camerino fugientem Vicillem Hirum cum ſex cohortibus, quas ibi in praeſidio habuerat, excipit* (2): Cohortes illas, aliaſque ex Piceno excepit Domitius, a quo Pompejus (ambo erant Proconſules) poſtulavit, ut ad ſe mitterentur ſcribens: *Aequum eſt a te impetrare, ut cohortes, quae ex Piceno, & Camerino venerunt, quae fortunas ſuas reliquerunt, ad me miſſum facias* (3).

Poſt varias fortunas Caeſar Romam primum, mox in Hiſpanias profectus eſt, quo & perexerunt Gneus Pompejus, & Sextus Pompejus fratres. Actum ibi fuit bellum, & quidem validiſſimum, in quo, ut Caeſar ipſe fatetur, magis pro vita, quàm pro victoria pugnatum eſt. In tam ardenti praelio, quo occiſus junior Pompejus occubuit, Camerinenſes in aciem deſcenderunt, Lucius Cominus Camers, ut ſcribit Dion (4) ſumma animi fortitudine Pompejanam par-

gloriam foederis confirmatum Camertes erexerunt. Tandem fragmentum alterius inſcriptionis affert idem Lilius ubi ſupra pag. 33, qua probare contendit *Civitatem Romanam* ter Camerinenſibus confirmatam. Ergo ex his documentis *aequo foederi* ſuccedit *Romana civitas*. *Romanae civitati aequum foedus*; & tandem alio documento *Civitas Romana* ter Camerinenſibus firmata. Quid in tot Camerinenſium viciſſitudinibus ſentiendum eſt? Revera nil aliud, ut ſenſus meos proferam, de Camerinenſibus dici poteſt, quam illos credere cum Romanis *aequo foedere* junctos uſque ad bellum italicum. Poſt illud bellum ad Municipii conditionem Camerinum tranſiiſſe. Probat id fragmentum inſcriptionis, quod affert Lilius Part. 1. lib. 1. pag. 38. Habes §. X. inter antiqua monumenta civitatis n. III, in qua recenſentur IIII. VIR. Camerinenſis civitatis municipales magiſtratus, ut norunt omnes. Item ex Frontini fragmentis de coloniis ſcimus Camerinum in Coloniam fuiſſe deductum, illiuſque agrum ob diminutam forte populi frequentiam Romanis militibus aſſignatum, utique poſt bellum italicum; Alias agri divino repugnaret aequo foederi. Ideoque nil aliud conjicere poſſumus a relatis a Lilio monumentis, queis probare contendit, etiam poſt italicum bellum *aequum foedus* Camerinenſium cum Romanis, quam credere a Camerinenſibus monumenta illa ad Imperatorum gloriam fuiſſe excitata recolendo principibus illis memoriam privilegiorum Camerinenſi populo a Rom. Republica collatorum.

(1) Saluſt. in Conjur. Catil.
(2) Caeſ. bell. Civ. Lib. 1.
(3) Cic. Epiſt. ad Att. Lib. 8. epiſt. 18.
(4) Hiſt. lib. 43.

Digitized by Google

partem ſtrenue ſuſtinuit, innumeriſque vulneribus confoſſus, vitam finivit. Sepulchralem inſcriptionem ad illius gloriam erectam in Luſitania refert Lilius (1). Quae fides illi danda ſit, viderint alii.

Nil aliud nobis ſupereſt memorandum per ea tempora, quibus primi Imperatores dominati ſunt. Appianus ſcribit in bello Peruſino (2) Agrippam duas legiones Planci ad ſe pellexiſſe relictas Camerini.

§. III.

QUum certi nihil nobis hiſtoriae prodant de ſtatu civitatis noſtrae, poſtquam Romanum imperium ſeneſcens in dies Principibus objiciebatur barbaris, & extraneis: ad tempora tranſeamus, quando *Alaricus* Gothorum Rex in Italiam progreſſus poſt Stiliconis interitum, quot Oppida, & Caſtella ſibi occurrebant, tot immani direptione vaſtabat, ipſamque Romam ſemel & iterum obſeſſam depopulatus eſt anno 409. (3) Camerinum aſſerit Lilius (4) ferali illa irruptione ope S. Venantii Martyris ſui fuiſſe ſervatum; & tam inſignis liberationis memoria in illa Civitate quotannis recolebatur die V. Oct. ſolemni Campanarum concentu hora 16. qui mox lapſu temporis neglectus anno 1755. fuit iterum reſtitutus.

Lilius item ſuſpicatur Camerinenſes ſub Athalarico rege Gothis fuiſſe amicos, & fautores; (5) quia Beliſarius Orientalium Imperatorum jura *propugnans* in Italia, Duce Joanne Vitaliano, exercitum ſuum non Camerini, *ejuſque* in agro, ſed *Albae* conſtituerat. *Albam* Civitatem Caſtrum illud parvulum, & ignobile fuiſſe putat Lilius (6) vulgo hodie *Albacina* dictum in agro Fabrianenſi a Camerino

(1) Part. 1. Lib. 1. pag. 20.
(2) Civil. bell. Lib. V.
(3) Murat. Annal. d'Ital. anno 409.
(4) Part. 1. Lib. 1. pag. 76. De hac liberatione alias diſſeremus.
(5) P. 1. Lib. 1. pag. 107.
(6) Procopius de ſtatione Beliſarii militum prope *Albam*, Piceni fine, ſub Vitaliano duce differit Lib. II. de bello Gothico; exacta vero, & genuina Ugonis Grotii traductio librorum Procopii ſic habet: *Beliſarius, ut abundantem militum copiam Romae vidit, equites in loca longius ab urbe abſita mittit. Cumque aliis oſtingentis Vitalianum, cui Joannes patruus circa Albam Piceno fine jubet hibernis locorum capere.... His omnibus praecepit, Joannem quocumque duceret ſequi. Joanni vero quieſcere, quamdiu conventionibus ſtaret hoſtis. Sin ille pacta exuere, tum haec ageret. Omni cum exercitu ſubito rueret in Picenum, multo primum ambitu vicina perluſtrans, deinde illuc ea celeritate incumbent, ut famam anteiret.... Haec cum agantur Joanni ſcripſerat Beliſarius, juſſa peragaret. Quibus ille parens bis mille cum equitibus Picenam regionem percurſam praedae multum coegit.... Auximum ubi ventum eſt &c.* = Haec Procopius. Unde quaeſo certiores reddimur *Albam* Piceno fine poſitam oppidulum eſſe illud *Albacina* dictum, & non magis *Albam fucenſem* Civitatem in *Marſis* Piceno ſitam fine? Si *Alba* a Procopio memorata eſſet *Al-*

Digitized by Google

no X. mill. pass. diffitum elevato in scopulo inter prerupta montium innixum. At de hoc nihil certi; nec possumus tutis argumentis firmare, cui nam parti Camerinenses *adhaeserint* illa barbarica Gothorum, & Imperialium militum irruptione.

Gothis repressis Alboinus Longobardorum Rex Italiam est ingressus, & anno *569.*, ut scribit Muratorius (1), Longobardicum regnum instituit, coepitque eo anno sui regni Aeram numerare. An Alboinus Camerinum aliquando occupaverit, incertum est. (2) Occupavit Spoletum, (3) &, Ducatu Spoletano fundato anno 580., primum praefecit novi Principatus Ducem *Faroaldum* ad sensum Muratorii, & Lilii. (4) Ad totam pariter regendam Italiam XXXVI. Duces praeposuit Alboinus. (5)

Divexavit *Faroaldus* Camerinum iteratis incursionibus, longaque obsidione, sed illud expugnare non potuit, immo in ipso agro Camerinensi fuit victus, & profligatus. (6)

§. IV.

Albacina; regio illa quatuor, & quidem frequentissimas habuisset proximas populationes; Mathilicam nempe, quae ab Albacina IV. mill. pass. distat: *Album*, quae a Tuffico absuisset D. circ. pass.; *Tufficum* enim jacebat in illa planitie, cui imminet *Albacina*; ; & *Attidium a Tuffico* V. mill. pass. diffitum; singulas Romanorum illustres, & celebres colonias. Tandem innixam habetemus praeruptо in scopulo *Album*, & quidem Civitatem, cujus amplitudo esset adeo exigua, ut vix centum posset capere domos. Quo tempore ad hibernandum Vitalianus *Albae* tenebat copias *Matbilica*, forsan, & *Tufficum*, & *Attidium* non erant diruta: quare ergo Vitalianus ad hibernandum exercitum suum seligit potius *Albacinam* inter saxa, & scopulos, quam vel *Matbilicenum*, vel *Tufficanum* agrum in illa *peramoena* planitie positum? Quomodo duae Civitates *Alba*, & *Tufficum* tam proximae? Qualis nam ager *Albae*? saxa utique, rupes, praeruptа montium, & opaca sylvarum. *Album* igitur a Procopio memoratam crederem potius *Albam fucensem* in finibus Picenae Provinciae, quo facillime in Picenum exercitus poterat progredi *Auximum* versus. *Albacinam* putavit Lilius fuisse *Album* a Procopio memoratam, quia nescivit proximum Albacinae fuisse *Tufficum*, cujus rudera supersunt adhuc, & monumenta ibi reperta certam ibi Tuffici sedem desiniunt. Nil igitur certi habemus de Camerinensium fortuna per ea tempora.

(1) Annal. Ital. ann. 569.

(2) Quo tempore Alboinus Marchiam, Umbriamque summa feritate discurrebat, & vastabat, Civitates illarum regionum sic gentibus viduatae, sic viribus destitutae erant ob pestiferam luem, famem, & barbaricas incursiones, ut facili negotio viae aperirentur genti illi effrenatae, & praedae inhianti ad illas occupandas. Camerinum propterea conjici potest ab Alboino occupatum. Lilius (p. 1. lib. IV. pag. 113.) putat Alboinum vel occupasse Camerinum, vel a Camerinensibus fuisse repulsum. Nostras conjecturas alias proferemus.

(3) Occupationem Spoleti Lilius certam dat, ante utique annum 572, vel 573, quo anno Alboinus obiit occisus. (Murat. annal. ad ann. 573.) anno vero 580. erat jam constitutus ducatus Spoletanus, ut idem Muratorius hoc anno animadvertit; quamvis probabilius in sola Umbria, nec ea amplitudine, qua postea dilatatus. (Murat. Antiq. ital. Tom. I. Diss. 21.)

[4] Part. 1. Lib. IV. pag. 113. istor. di Cam. = Murat. Annal. 580.

[5] Murat. Annal. ad ann. 575.

[6] Lil. hist. Cam. P. I. Lib. IV. pag. 113, & seq. sine coaevi scriptoris auctoritate.

Digitized by Google

§. IV.

PRimus igitur Spoletanus Dux, ut horum ſeriem hic demus, fuit *Faroaldus* ab Alboino rege praepoſitus anno circ. 578. (1) & anno 583. prope Ravennam trucidatus. (2)

II. *Ariulfus* Faroaldo ſuffectus eſt anno circ. 583., ideoque vel hoc anno, vel paulo ante *Faroaldus* occubuit (3). Dux iſte Camerinum occupavit prodigioſa Sancti Martyris Savini apparitione, ut refert Paulus Diaconus; (4) & ad haec uſque tempora libertas (5) Camerinenſis perduravit. Potitus Ariulfus Camerino in cauſa fuit, cur Ducatum Spoletanum mirifice in Cis-apennina parte per Picenum ampliaverit, & in trans-apennina parte illius principatus voluerit caput fuiſſe *Spoletum*, & in cis-apennina *Camerinum*.

Qualis ſub Spoletanis ducibus Camerini ſtatus fuerit, & fortuna, definire non poſſumus. Nos ſeriem ducum Spoletanorum proſequentes, quicquid de Camerinenſibus ſcriptum habemus, opportune dabimus. *Ariulfo* e vivis ſublato forte anno 601. (6), duo fratres *Faroaldi* filii Ducatum ambierunt. Lis uno praelio confecta eſt.

III. *Theudelapius* alter ex filiis Faroaldi in praelio victor regreſſus principatum obtinuit, & hic locum habet poſt *Ariulfum* anno 604. (7), tenuitque ducatum ad annum circiter 651. (8).

IV.

[1] Paul. Diac. lib. III. cap. 13.

[2] Hier. de Rubeis hiſt. Raven. lib. IV. Pauli Diaconi auctoritas ad aeras ſtatuendas actorum Langobardorum in Italia parum tuta eſt, ut animadvertit Muratorius (Annal. To. III. ad ann. 580.) qui propterea emortualem Faroaldi annum incertum habet.

[3] Franciſcus M. Pratillius in Prol. in Paul. diac. excerpta obitum *Faroaldi* figit ad annum 583, & hoc ipſo anno initium *Ariulfi* principatus.

[4] Lib. IV. cap. V. Murat. in Annal. ad ann. 601. *Camerini* occupationem factam apparitione, & ope S. Savini ab *Ariulfo* principe etheredoxo habet ſuſpectam. Pauli tamen ſcriptoris coëvi fidei ſtandum eſt. Item Muratorius ipſo anno 601. Victoriam *Ariulfi* in agro Camerinenſi, & in Camerini viciniis admittit: neſcit tamen definire, an Camerinum fuerit tunc, vel alio tempore expugnatum. Paulus diac. ſcribit = *Hic Ariulphus cum bellum contra Romanos a Camerino geſſiſſet, victoriamque patraſſet &c.* Quae verba non videntur obſcura. Sigonius (de Regn. Ital. lib. I.) memorat hoc praelium, & *Ariulfi* victoriam ſic = *Digreſſus inde* (Ariulfus) *quod ſpes omnis ad irritum cecidiſſet, Camertes invaſit, atque illos magno praelio ſuperatos in poteſtatem redegit* = *Camerini* propterea occupationem in dubium non revocarem.

[5] Lil. P. I. Lib. IV. pag. 120.

[6] Murat. annal. ad ann. 601.

[7] Paul. Diac. lib. IV. cap. 17, & 51. Sigonius vult *Theudelapium* ducatum tenuiſſe anno 603; quem ſequitur etiam Campellius hiſt. Spolet. lib. XII. nos ſequimur diligentiſſimum Pratillum in citata proluſione.

[8] Emortualis Theudelapii annus incertus eſt, ſane auctoritate Pauli Diac. loc. cit. ſub Conſtante Imperatore extremum, confecit diem. [Murat. Annal. Tom. IV. ad ann. 651.]

Digitized by Google

IV. *Atto* dux fuit anno *656*, nisi Paulus, (1), ut scribit accuratus Pratillus, errasset in Theudelapii emortuali anno, quem paulo ante Ariperti regis mortem contigisse, inquit.

V. *Transmundus* (2) post *Attonem* ducatum tenuit anno *663*. (3) vixitque ad annum 702, vel, ut conjicit Muratorius, ad annum 703. Hoc anno Transmundus locum cessit Faroaldo II. ejus Filio (4).

VI. *Faroaldus II.* obiisse probant anno 728. monumenta a cl. scriptore tabulae Chronographicae medii aevi apud Muratorium (5). Hic *Faroaldus* a suo filio *Transmundo* regnandi cupido fuit principatu spoliatus anno 724. (6)

VII. *Transmundus II.* per ea tempora regnabat, queis Liutprandus Italiae Rex, icto foedere cum Eutichio Exarcha, in *Transmundum*, qui ab ejus fide defecerat, sumpsit arma anno 729. (7), & *Transmundus* ultro se regi subjiciens res composuit suas. Anno tamen 740. iterum ab Italiae rege desciviť; timensque regis potentiam Romam fugit: (8), & tunc Liutprandus ducem Spoleti dixit *Hildericum* anno 740. Lilius scribit (9), Liutprandi Regis tempore Camerinenses iterum libertate potitos, quando *Transmundus* dux contra Regem iterum, iterumque arma sumpsit (10), & quando Aystulphus Liutprandi successor, ducibus Canardo, & Barbato in Camerinum irruentes a *Solone* Episcopo, & duce Camerinensium pro patria strenue pugnante expulsus est, & fugae datus. At de hoc alias sub *Solonis* Episcopatu.

VIII. *Hildericus* a Liutprando dux constitutus est anno 740, ut supra dictum est. Hic in Farfensi cathalogo desideratur. *Evolatis dein aliquibus annis* (scribit Paulus (11) *Transmundus*, *qui Romam fugerat*, *Spoletum redieus Hildericum extinxit* (anno nempe 742.) *rursumque contra Regem rebellavit* (12). Rex illico regressus est contra *Transmundum*; at hic collectis copiis suis, aliorumque foederatorum, aliquandiu pugnavit. Animadvertens autem, se diu Regis sustinere potentiam non posse, pacem petiit, & obtinuit ea pactione, ut principatu cederet, quod & perfecit (13).

IX.

[1] Paul. Diac. cap. 52. & 53. *Hic Atto* a Sigonio, & Lilio lib. IV. *Zotho* dictus est, sed male. Muratorius [Annal. Tom. IV. ad dictum annum] nescit definire initium *principatus* Attonis.

[2] Ut scribit Paulus fuit dux Capuae de eo lib. IV. cap. 53. & lib. V. cap. 16.

[3] Murat. ubi supra ad ann. 663.

[4] Paul. diac. lib. VI. cap. 30. Sigonius Collegam Faroaldi in ducatu fuisse scribit fratrem ejus *Volchilum* nomine, sed sine documento. Id ipsum putat Lilius P. 1. Lib. IV. pag. 120.

[5] Tom. X. rerum Ital.

[6] Paul. Diac. lib. VI. cap. 44. & Murat. annal. ad ann. 724.

[7] Murat. annal. ad ann. 729. Paul. lib. IV. cap. 5.

[8] Paul. ubi supra.

[9] Hist. Cam. Part. I. lib. IV. pag. 120.

[10] Murat. annal. ad ann. 740.

[11] Paul. ubi supra.

[12] Anast. in Zacchar. vit.

[13] Murat. annal. Tom. IV. ad annum 741. Paul. lib. VI. cap. 57.

Digitized by Google

IX. *Agibrandum*, seu (ut legit Sigonius) *Ausprandum*, (ut etiam habent chartae Farfenſes.) nepotem ſuum Rex in Hilderici locum conſtituit Spoleti ducem ipſo anno 742. (1), tenuitque ducatum ad annum 746.

X. *Lupus* eo ipſo anno 746. (2) Dux Spoleti deſcriptus eſt in Cathalogo Farfenſi (3).

XI. *Hunnulphus* poſt *Lupum* uſque adeo ignotus ducatum tenuit. Illum in ſua ſerie produxit diligentiſſimus Pratillius (4), regebatque ducatum anno *DCCLII. Indict. VI. Marczi menſe die XI.* ſunt notae chronologicae documenti, unde ſcriptor ille hunc hauſit ducem.

XII. *Albuinus* dux anno circ. 757. *Hunnulfo* ſucceſſit, Selectus, ut ſcribit Muratorius (5), in generalibus illius ducatus Comitiis illo anno, regnante Deſiderio poſtremo Langobardorum Rege. Rex iſte *Albuinum*, tanquam perduellem, anno 758. in vinculis tenuit (6) ducemque Spoletanum voluit Giſulfum.

XIII. *Giſulfus* dux, quemadmodum, *Albuinus*, & *Hunnulfus* ignoti fuerunt Sigonio, qui & ignoravit ejus ſucceſſorem.

XIV. *Theodicium* (7), qui in Farfenſi chron. appellatur *Theodoricus*. Floruit dux iſte anno 763: paulo poſt annum 772, quo a Deſiderio ad Hadrianum PP. miſſus eſt, defecit *Giſulfus*.

XV. *Hildebrandus*, de quo meminerunt Cathalogus Farfenſis, Anaſtaſius, Sigonius, & alii, (8) anno 774. dux a Spoletanis ſuffectus eſt. Carolo Magno (antiquis Langobardorum regibus extinctis) occurrit, munera detulit, & pro eo contra Graecos decertavit anno 779., & anno 788. (9): anno tamen inſequenti dux Spoletanus habetur *Guinichus*.

[1] Dux iſte in cathalogo farfenſi deſideratur. Illum habet Paul. loco cit.

[2] Ex cathalogo Farfenſi.

[3] Hujus ducis meminit etiam charta donationis Ludovici Pii in ſerie Chron. Voltur. apud Murat. Tom. I. Part. II. pag. 369. & 386. rer. Ital.

[4] Pratill. proluſ. in Paul. excerp. pag. LX. ex Scheda permutationis cellae S. Viti monach. Caſſinen. cum Urſone de Caſtro S. Vincentii ad Vulturni Pontis.

[5] Annal. Tom. ad ann. 757.

[6] Murat. annal. ubi ſupra ad ann. 758. in farfenſi Cath. legitur *Albuinus*.

[7] Ab Anaſt. in Steph. IV. Pont. vita *Theodicius* eſt dictus, & ſic eſt nuncupandus auctoritate monumentorum Farfenſium; in quibus *Theodoricus* numquam legitur,

ut optime animadvertit doctiſſimus P. Petrus Aloyſius Galletthius monacus Caſſinenſis; & chartas profert ad id probandum tam in epiſtola ad cl. abb. Stephanum Borgiam nunc Beneventanam Urbem moderantem, & in romana ephemeride inſecta menſium Auguſti & Sept. ann. 1756, & 1757. pag. 233; quam in eruditiſſimo Commentario inſcripto: *Gabio antica Città della Sabina* Romae vulgato typis Octavii Puccinelli anno 1757, perpendit etiam accuratiſſimus Galletthius in eadem epiſtola, pag. 252. parum eſſe tutum catalogum noſtrorum ducum praepoſitum farfenſi Chronico.

[8] Anaſt. in Hadriani vit. Murat. ad ann. 772.

[9] Legendum, quid de hoc duce ſcribat

§. V.

ROmani interea Pontifices, ut peculiari populo ſuo aſſiduis Langobardorum incurſionibus divexato, providerent, eumque ab eiſdem heterodoxis gentibus liberarent, Pipinum Francorum regem, ejuſque poſtea ſucceſſorem, & filium Carolum M. in Italiam acciverunt, Patriciatus Romani honore, illis attributo, quo múnere apoſtolicae ſedis, italicarumque gentium ad illorum patrocinium confugientium cura, & defenſio illis commiſſa fuit (1). Carolus M. Romam accitus, Langobardiſque regibus, urbi jam excidium minitantibus, ab Italia deturbatis, Langobardorum rex ſe dixit *Primus* anno 774. (2) ; filiumque ejus Pipinum anno 781. Adrianus I. R. Pontifex Regem Italiae declaravit (3). Poſtquam Gallici Reges, dignitatem, & nomen Langobardorum regis aſſumpſere, nomen Patricii Romani conſtanter tenuerunt. Quando vero S. Leo III. anno 800, S. P. Q. R. plaudente, Carolum Imperatorem auguſtum inauguravit, Patricii Romani nomen auditum amplius non eſt ; ceſſitque auguſtiori, titulo, quo R. Pontifices decoratos voluerunt advocatos, & defenſores S. R. E. (4) more penitus ab antiquis alieno, quo Imperatores Auguſti Romanae Ur-

bat doctus Pratillius, ubi ſupra pag. LX, & LXI, & Murat. in annal. ad annum 775, qui tutis argumentis ab anno 775. ad 787. probat ducem Spoletanum praefediſſe *Hildepertum* ; & conjicit duos Duces eodem tempore dominantes in Spoletano ducatu, alterum Camerini, Spoleti alterum ; ni fortè *Hildebrandus* aliquando principatu ſpoliatus, mox illo iterum potitus ſit. Quid ſi Amanuenſium culpa *Hildepertus* pro *Hildebrando* ſcriptus ſit? Lilius pariter (P. I. lib. IV. pag. 121.) profert documentum, in quo *Hildepertus* dux recenſetur ab Ughellio ſumptum (Ital. Sac. Tom. II. pag. 725.) omnem tamen ſuſpicionem tollit laudatus P. Galletthius in enunciata epiſtola ad Borgiam data ; in qua plurima producuntur documenta tabularii Farfenſis ; & in iis conſtanter *Hildeprandus* habetur ; & nuſquam apparet *Hildepertus* ; immo dux *Hildeprandus* haud interrupte ad annum uſque 789. dux Spoletanus nominatur.

[1] Optime ſcriptor Gallicus P. Franciſcus Pagius (in Breviar. Geſt. R. Pont. in vit. Greg. III. §. XVII.) ſcribit : *Patriciatus Eccleſiae romanae, ſeu Patricii romanorum nomen duo quaedam complectebatur, & jurisdictionem, qua reges Francorum in urbe ex conſenſu Pontificis, & populi romani potiebantur, & protectionem, ſeu defenſionem, quam R. Eccleſiae polliciti erant, quae defenſio pactis cum R. Pontificibus initis conſtituta erat.*

[2] Murat. Annal. Ital. ad ann. 774.

[3] Jel. ad ann. 781.

[4] Ceſſit Patriciatus honor auguſtiori titulo *Imperatoris* ; ſed non ceſſit obligatio illorum Principum, qui *Imperatores* proclamati ſe non dominos, ſed defenſores temporalium Eccleſiae romanae jurium profitebantur. Exempla S. R. E. ſequuta ſunt Italiae Cathedrales Eccleſiae, & Monachorum Coenobia ſeligendo ſibi advocatos, & defenſores, quae ex illis nonnullos in tyrannos converſos fuiſſe luxerunt. Illi nimirum defenſores paulatim eccleſias bonis temporalibus ſpoliarunt, praedia, & Caſtella uſurparunt, & abſoluti illorum domini facti ſunt. Hinc facile evenit, ut nonnulli Principes aliquas S. R. Eccleſiae regiones, quatum juta pro S. Sede tueri debebant, temerario auſu occupaverint, dominique evaſerint non legitimi, ſed uſurpatores. De hoc ſatis.

Digitized by Google

Urbis, & ampliſſimi illius imperii dominatum tenuerunt: adeo ut, ni mea me fallit opinio, advocatorum tantumodo, & defenſorum jure tum Romae, tum alibi in Provinciis R. Pontificibus ſubjectis leges illos dixiſſe dijudicem; ibique, ſicut in tota Italia, rectores etiam opportune conſtituiſſe. Et revera, antequam Carolus M. ad Gallias ſe reſtitueret, totam Italiam, Francorum more, in Marchias, Ducatus, & Comitatus diviſit (1), unde factum eſt, ut Spoletanus ducatus *Marchionatus* titulum ſumpſerit, & dominos habuerit ab Imperatoribus illuc miſſos *Marchionis* titulo decoratos, Duceſque Spoletani, ſe deinceps dixerunt *duces*, & *Marchiones*; unde *Marchia* Camerina, quae & *Firmana* dicta eſt; ſed nomine tenus a *Camerinenſi* diverſa (2).

Anno 888. Berengarium Italiae regem aggreſſus eſt Wido Italiae regnum *ambiens* in agro Brixiano (3), infelici tamen fortuna; nam ibi Wido victus, & profligatus eſt. Anno vero 889, bello iterum Berengario indicto, Wido victoriam cecinit (4). In hoc bello mille Camertes pugnarunt pro Widone, & nonnulli etiam Epiſcopi juxta pravum illorum temporum morem gladium pertractare viſi ſunt. Tunc Wido convocatis Epiſcopis ſibi adhaerentibus, & amicis etiam Civitatum ſibi ſubjectarum, (& inter hos, quis inficiabitur fuiſſe Epiſcopum Camerinenſem) in peramplo conſeſſu Papiae habito Rex Italiae proclamatus eſt. Mox anno 891. a Formoſo Romano Pontifice Imperator Auguſtus coronatus eſt, & in ſequenti anno 892. ab eodem Pontifice imperii ſocium obtinuit filium ſuum Lambertum aetate adhuc juvenili, & ephebum. (5) Wido interea anno 894. menſe decembri ſupremum obiit diem, relicto Imperatore Lamberto (6).

Ageltrudes Widonis Auguſti uxor vidua relicta forte ducatui Spoletano praeſidebat; & eo anno 898. inter ipſam, & Berengarium, qui Italiae regnum poſt Widonis obitum pacifice poſſedit, acta concordia fuit (7). Ageltrudae Rex duo ceſſit Monaſteria; & omnia bona tam propria, quam illi ab Auguſtis viro, & Filio donata ampliſſime confirmavit. Haec Muratorius ſparſim in italicis annalibus.

Camerini moram ſuam ſtatuit auguſta foemina; ſucceſſitque ad Monaſterium Natabene habitu monaſtico induta (8). Piis operibus

[1] Sigon. de regn. Ital. lib. III.
[2] Anonim. Mediol. Diſſ. Chrograph. ſect. XX. apud Murator. Tom. X. rerum Ital.
[3] Murat. annal. ad ann. 888.
[4] Idem ubi ſupra ad ann. 889.
[5] Murat. in annal. ad ann. 892.
[6] Id. ubi ſupra ad ann. 894.
[7] Idem ubi ſupra ad ann. 898.
[8] Compag. reg. Pic. Part. 1. lib. 1. pag. 27. Muratorius in annal. ad ann. 900. dicit, Ageltrudem moram duxiſſe in ducatu Spoletano. Ex documento, quod dat Compagnonius, ubi ſupra, patet foeminam illam moram duxiſſe Camerini.

Digitized by Google

occupata perampla donationem Monaſterio *S. Euthicii* (1) in territorio Aeſinate ex laudato diplomate a Compagnonio relato anno 907. Monaſterium intra fines *Marchiae Camerinenſis*, quam forte Ageltrudes regebat, ſitum eſſe comperimus. (2)

In agro Montiſmilonis, hodie Maceratenſis dioeceſis, & in Marchia Camerini fundavit Ageltrudes Rambonenſe (3) Coenobium. Quo anno Ageltrudes obierit non liquet. Anno ſiquidem 910. *Marchiae* Camerinenſis habemus dominum *Albericum* ex documento a Muratorio in appendice ad Chronacam Caſaurienſem producto (4) *Al-*

[1] S. Euthicii Abbati pinguia latifundia, Caſtrumque Rubellianum, cujus memoria eſt in fundo hodie dicto *Revegliano*, cum Oratorio Sancti Petri Ageltrudes donavit ea lege, ut cuidam presbytero, Petri nomine, Monaſticum habitum daret, & tam ipſe, quam coeteri monachi pro Auguſta donante, ejuſque vita functo conjuge, & filio enixas perpetuo preces Deo perſolverent. Temporum injuria monaſterium corruit, ut ne locus quidem, ubi illud erat conſtitutum, liqueat. Aedicula S. Petri forſan erat condita in colle Rubelliano proximo, cui a S. Petro nomen haeret. Non longe a Rubelliano jacet inſignis Abbatia S. Apollinaris, quae a Paulo III. perpetuo fuit commendata Priori Aeſinae Cathedralis Eccleſiae, qui in illo Capitulo principi dignitate gaudet, illamque hodie Scipio Guglielmius, vir ampliſſimus Aeſinae, & Senenſis Civitatum Patricius pientiſſime curat. Monaſterium pene omne disjectum eſt: templum ſupereſt adhuc integrum. Longis curis defudavit vir ille accuratiſſimus ad originem, & antiquitatem ſuae Abbatiae aſſequendam. Tandem ab Euthichiano Coenobio, non contemnendis conjecturis ſuſpicatur, ortum habuiſſe Coenobium S. Apollinaris, praeſertim quia bona jam ad S. Euthicii Monaſterium ſpectantia, hodie ſuae Abbatiae ſunt addicta; *illiuſque* conjecturas cl. Muratorius ſuis ad illum datis literis adprobavit. P. Abb. Sartius in ſua Caprenſi Epiſtola n. XXXVI. nonnulla promittit ad originem Abbatiae S. Apollinaris illuſtrandam. Expectandum propterea eſt a Sartio eruditiſſimo, quid novi in ſua diſſertatione de *Aeſi Flavio, & locis adjacentibus ſit produ*Surus.

[2] Vide infra Cap. IV. §. IV. ubi de Cupra montana diſſerimus in notis.

[3] Rambonenſe Monaſterium vulgo dicto *di Rambona* ex illuſtrioribus, & vetuſtioribus Picenae provinciae fundatum pariter fuit ab Ageltrude, ut in ſuo ſacro Diptycho ſcribit cl. Buonarotius (pag. 273.) eſt ab Epiſcopali juriſdictione exemptum, & perpetuo illius abbatiae bona, & jura unita ſunt bonis, & juribus Abbatiae *S. Laurentii in doliolo*, & alterius *S. Euſtachii de Domoris* apud San-ſeverinates, de quibus alias in noſtra ſerie; idque probatur ſcheda in tabulario priorali Montechii aſſervata, in qua ſic habetur = *Cum religioſo, & honeſto viro Dopno Raynaldo Joannis Petri de Verra Sanctiſeverini, & procuratore S. Laurentii in Doliolo, S. Euſtachii de Domoris de Sanctoſeverino, & S. Mariae de Rambona Camerinenſis dioeceſis, Monaſteriorum invicem, & canonice unitorum* = quae ſcheda ſpectat ab annum 1472. Ampliſſima habet Rambonenſis Abbatia latifundia, & jura; quamplurima habuit Sacerdotia, & inter haec Eccleſiam *S. Mariae in Sylva* de qua ſub Octone II. Epiſcopo noſtro, aliaque plura, de quibus in noſtra ſerie ſparſim recurrit ſermo. Habet etiam unitam Eccleſiam cum Monaſterio *S. Savini* prope Montecchium, cujus Praepoſitura translata fuit ad Eccleſiam S. Michaelis infra oppidum ad Rambonenſe Coenobium pariter ſpectantem, quam curat hodie *Presbyter* ſecularis *Praepoſiti* titulo inſignitus. Eccleſiam vero *S. Savini* Fratres minores *Capuccini* nuncupati cum monaſterio religioſiſſime cuſtodiunt, & incolunt.

[4] Annal. ad ann. 910.

Digitized by Google

Albericus Marchiam Camerinenſem regens contra Saracenos pro Berengario perrexit, aciemque contra illos direxiſſe putat Muratorius (1) anno 916; & Camerinenſes ad pugnam contra Saracenos a Joanne X. R. Pontifice invitati ſunt, teſte Luitprando.

Dum regnum Italiae primus Berengarius tenebat, exercitum, & quidem validum in Hungaros comparavit anno 906, in eoque non defuerunt *Camerinae Marchiae* gentes (2) forte ab Auguſta Ageltrude Berengario datae ob initam jam inter ipſos amicitiam. Supereſt nunc, ut *Ducum, & Marchionum Camerinenſium* ſeriem proferamus.

§. VI.

I. *Guinichus*, qui *Vinegriſus*, *Winigis*, *& Vinechiſius* etiam dictus eſt, fuit primus *Dux*, *& Marchio* Spoletanus, & Camerinenſis anno 789. ſucceſſor Hildeprandi. Dux iſte anno 799. Leonem III. R. Pontificem a Romanis male exceptum humaniſſime Spoletum duxit, & ſumma veneratione pertractavit. Ducatum ſuum forte rexit ad annum 822, quo, ut in Annal. Bertin. habetur (3) jam ſenio confectus, habitu ſeculari depoſito, monaſticae converſationi ſe mancipavit. Succeſſit Guinicho. (4)

II. *Suppo*, qui in Farfenſi Cathalogo deſideratur; nam electus anno 822. jam inter mortales eſſe deſierat anno 823.

III. *Adalchardus* anno 824. praeſedit ducatui Spoletano, & poſt quinque menſes febri laborans deceſſit.

IV. *Mauringus* Adalchardo ſuffectus eſt eodem anno 824: ſed Maoringus etiam vix ad illam dignitatem aſſumptus interiit. Sic biennio minus tres Duces Spoletani fato ceſſerunt; ut animadvertit laudatus Pratillius. (5) Id forte in cauſa fuit, cur in Farfenſi Cathalogo non ſint numerati.

V. *Siconem* poſt Mauringum cl. Pratillius (6) inter Duces Spoletanos adnumerat, quamvis ſine *Ducis*, & *Comitis* titulo habeatur in Chron. Ducum, & principum Beneventanorum. Ab anno ſiquidem 824,

[1] Annal. ut ſupra ad ann. 916.
[2] Murat. Annal. ad ann. 900.
[3] Annal. Bertin.
[4] Chorograph. Farfen. anno 906. ducem Spoleti memorat *Romanum*; mox anno 914: *Gelardum*, & tandem nonnulli Scriptores recolunt *Heccideum* anno 916. Nullus tamen ex his fuit dux Spoletanus, firmatque validis rationibus laudatus Anonim. mediol. in ſua Tab. chron. *Guinichum* ab anno 799. ad annum 822. ducatum tenuiſſe. Quum vero dux iſte, dum in Spoletino, & Camerinenſi principatu erat occupatus, variiſque curis eſſet intentus, & propterea coactus fuerit alios ad ſui Principatus regimen ſuſtituere, forte *Romanus Gelardus*, & *Heccideus* habiti ſunt Duces, ſed revera *Guinichi* vices gerebat.
[5] Pratill. in Proluſ. ubi ſupra pag. LXII.
[6] Idem ubi ſupra.

Digitized by Google

824, quo deceſſit *Mauringus*, nulla Ducum memoria nobis relicta eſt ad annum 835, quo anno nobis occurrit.

VI. *Berengarius*. De eo in Farſenſi Chronico. Mabillonius (1) etiam ad annum 836. illum recolit in Cathalogo ducum Spoleti; & Hadrianus Valeſius (2) affert documentum datum anno 844, ſeu, ut conjicit Muratorius (3) anno 843, quo dux legitur *Berengarius*, qui hoc anno computat ſextum annum ſui principatus. (4)

VII. *Guido* I, ſeu Wido ab Erchembergo (5) poſt Berengarium Dux Spolitenſium praefuit. Habuit hic fratrem nomine *Lambertum*, & filium pariter *Lambertum* nuncupatum.

VIII. *Lambertus* I. Frater *Guidonis* ante annum 861. vel ſuffectus eſt fratri ſuo, vel fuit ducatus collega (6)

IX. *Lambertus* II. filius Guidonis I. tenuit principatum. Ab Erchemperto (7); ſeries haec comprobatur hiſce verbis = *Defuncto Lamberto* (nempe II.) *filio Guidonis ſenioris* (I. ſcilicet) *filio ſuo* (hujus nomen reticet Erchempertus) *Spoletium reliquit. Quo etiam decedente, Guido Junior Spoletium, & Camerinum ſuſcipiens cum Saracinis pacem fecit* &c. Accuratiſſimus Pratillius (8) filium *Lamberti* II. fuiſſe conjicit vel Guidonem, vel Lambertum; & forte, quia parum vixit, illius nomen poſteris ignotum remanſit. Sequitur in ſerie.

X. *Guido* II. *Lamberti* II. filius: de eo Erchempertus (9). Hic regiam dignitatem acquiſivit; Galliae regnum ambiit; ſed fruſtra (10) de regno Italiae cum Berengario contendit. Vincit, & rex Italiae proclamatur anno 888. Mox Imperator 891. Moritur 896. (11)

XI. *Lambertus* III. *Guidonis* II. filius ſucceſſit conſors Patris in dominatione regni Italiae, in imperio, & in ducatu Spoletano ab anno 892. (12). Fuit occiſus, mandante Arnulfo Rege, anno 898. (13)

XII. *Guido* ejus frater Tertius appellatus, dum Lambertus imperabat, Spoletanum ducatum tenebat. De hoc *Guidone* Anonimus Be-

[1] Itin. Ital.
[2] Valeſ. in praefat. ad Paneg. Bereng.
[3] Annal. T. V. ad ann. 844.
[4] Quomodo vero anno 844. poterat Berengarius praeſidere ducatui Spoletano quum *Guidonem* illius ſucceſſorem habeamus anno 843 in illo dominantem? Nil aliud excogitare potuit Murator. [Annal. Tom. V. ad ann. 844], quam credere alterum Spoleti, alterum Camerini dominantes, diviſio inter ipſos principatu, ni velimus in notis chronologicis aliquem errorem excogitare.
[5] Erchemp. Hiſt. Langob. Benev. num. XVII.
[6] Erchemp. ubi ſup. num. XXIX. Ignot. Cap. num. XXII.
[7] Erchemp. ubi ſupra num. LXXIX.
[8] Pratil. Proluſ. ut ſupra pag. LXIV.
[9] Erchemp. ubi ſup.
(10) Liutprand. Lib. 1. Cap. 6.
(11) Oſtienſ. lib. 1. cap. 64.
[12] Liutpran. lib. 1. cap. 10.
[13] Liutprand. lib. 1. cap. 12.

Digitized by Google

Beneventanus ſic ſcribit (1) ad annum 896. = *Qui* (Guido) *Spoletium perrexit Imperatorem fratrem, ejuſque Matrem Imperatricem* (Ageltrudam nempe) *cernere cupiens; ibant enim illi Romam ad Apoſtolorum limina*. Quo anno Guido III. obierit incertum eſt. Muratorius mortuum aſſerit anno 898. (2) Immò poſt hunc Ducem, qui Spoletum, & Camerinum tenuerit ignoratur. [3]

XIII. *Ageltrudes* tamen Widonis Imperatoris vidua relicta ducatui Spoletano per haec forte tempora praeſidebat, & inter ipſam, & Berengarium Italiae regnum poſt Widonis obitum pacifice tenentem ictum foedus fuit, moramque ſuam tenebat Camerini in domo Natabene monaſtico habitu induta [4] ut ſupradictum eſt.

XIV. *Albericum* exinde anno 910. Camerinenſis Marchiae praefectum nobis exhibet Muratorius [5] ad annum 915, quo deceſſit; & poſt hunc [quando *Bonifacium* Marchionem nolimus anno 922, ut Pratillius ſcribit, & hic locum habere poteſt.]

XV. *Theobaldum habemus proxima regi Vgoni affinitate conjunctum* [6]. *Quia vero Theobaldus Marchio*, ut ſcribit Luitprandus, [7] *hominem exuerat; Spoletinorum, & Camerinenſium Marchiam* Ugo rex

XVI. *Anſchario* tradidit gubernandam. Interea Ugo rex bellum indixit (quare incertum eſt) Berengario *Anſcharii* fratri, ipſique *Anſchario*, & comparato contra illos exercitu Imperatorem dixit *Sarlionem*, ſtrenuum, & induſtrium apprime virum, nationeBurgundum, qui feliciter confecto bello, *Anſcharium* in foveam lapſum interfecit anno 940. [8]. Tunc Ugo rex eodem anno

XVII. *Sarlionem* remuneraturus Marchiae Camerinenſi, & Spoletano ducatui praefecit [9] *Sarlionis* ſucceſſor fuit.

XVIII.

[1] Anonim. Benev. ad ann. 896.

[2] Murat. Annal. ann. 898.

[3] Ad haec uſque tempora, & a *Guidone* I. ad *Guidonem* III. ſeriem amplexati ſumus doctiſſimi Pratillii in Proluſione in Pauli Diac. excerpta. Vult tamen cl. ſcriptor anno 922. ducatu Camerinenſi, & Spoletano potitum *Bonifacium* Hubaldi filium.

(4) Hanc piam foeminam recolit Muratorius in Ital. antiq. Diſs. LXVI. eamque putat ex iis fuiſſe monialibus extra clauſuram degentibus. Dicit enim in diplomate ampliſſimae illius donationis, quam Auguſta foemina fecit Coenobio S. Euthicii in campoli, de qua alias, ipſam permanere in *domo* Natabene in Civitate Camerini. Attamen mora Ageltrudis in domo Natabene non videtur argumentum tutum ad illam a Coenobio excludendam: *Domus* enim & *Coenobium* voces ſunt aequivocae; quidquid ſit de clauſura, ad quam per illa tempora Moniales cuſtodiendam non erant obſtrictae.

(5) Murat. Annal. ad ann. 910. Par. II. Tom. II. rer. Ital. in Paneg. Bereng. In iiſdem Annal. ad ann. 915.

(6) Liutprand. lib. IV. cap. 4. & in Fatſ. Chron.

(7) Murat. in Annal. ad ann. 915. Liutprand. lib. V. cap. 2.

[8] Murat. in Annal. ad 940. & Part II. Tom. II. rer. Ital. Liutprand. lib. V. cap. 12.

[9] Murat. ubi ſup.

Digitized by Google

XVIII. *Ubertus* Ugonis regis naturalis filius ex documento, quod damus in Appendice documentorum ad annum *944*; Exinde.

XIX. *Bonifacium*, & XX. *Tebaldum* } duces ſimul habemus anno *946*. ex Chron. Farfenſi [1], quo tamen anno ſui ducatus computabant annum III. ex ſchedis Farfenſibus a Gallethio relatis in Epiſtola ad cl. Borgiam pag. 249. Hinc patet eo ipſo anno *944*, quo praeſidebat Dux & Marchio *Ubertus*, ad illam dignitatem fuiſſe promotos *Bonifatium*, & *Tebaldum*, quibus demortuis, ſeu deturbatis, ſequitur in ſerie.

XXI. *Tranſmundus* dux ex Chron. Farfenſi apud Muratorium [2] anno *959*.

XXII. *Pandulphus*, *caput ferreum* dictus, ab Ottone I. Dux, & Marchio conſtitutus eſt, interfuitque R. Concilio a Joanne XIII. habito anno *967*. & a Muratorio [3] vulgato. Patillius vero ex Chron. Cinglenſi [4] documentum profert datum Spoleti *die primo Septembris anno CMLIV. Indict. XIII. anno Berengarii regis, ejuſque filii Adhelpecti V. Principatus glorioſorum Landolphi anno XV, & XI. Pandolphi Capuanorum Principum, & Ducum Spoleti feliciter*. At enim quomodo Duces iſti Capuani anno *954*. praeeſſe poterant Spoleti Duces, ſi anno *959*. in illis partibus praeſidebat *Tranſmundus*? nil utique dicendum ſupereſt, quam illos in Samnii, & Marſiae comitatibus, qui Spoletani Ducatus pars erant, credere dominantes, dum *Tranſmundus* Camerini Marchiam regebat. Lapſu dein temporis integra hujus Ducatus poſſeſſio ad illos tranſiit, anno ſcilicet *967*, & propterea in illo Romano Concilio Pandulphus Dux Spoleti memoratur. Hunc Ducatum rexit *Pandulphus* ad annum *981*, qui fuit illius emortualis, & poſt hunc

XXIII. *Tranſmundus* alter [5] anno *984*; qui erat Ducatus illius II., ab Ottone II. conſtitutus, & poſt Tranſmundum nobis ſe offert

XXIV. *Ugo* Magnus appellatus, qui anno *984*. Tuſciae, & Spoleti Dux erat. Quid de *Tranſmundo*? vel principatu ſpoliatum, vel ſoli Marchiae Camerinenſi praefectum [6] putat Muratorius.

Proſequitur nunc Marchionum Camerinenſium ſeriem a ſolertiſſimis Chronographis Camaldulenſibus continuatam [7], qui poſt *Tranſmundum*, nobis exhibent *Ugonem* Magnum ad annum *999*, quo

[1] Murat. Part. II. Tom. II. rer. Ital.
[2] Idem ubi ſup.
[3] Idem antiq. Ital. diſſ. 61.
[4] Proluſ. ut a pag. LXVII. & ſeqq.
[5] Murat. Annal. ad ann. 984.
[6] Murat. Annal. ad ann. 989.
[7] Annal. Camal. Tom. I. lib. IX. num. LIII, ubi magnorum ducum, & Marchionum ſeries diſponitur exactiſſima, & ſchedis ineditis noſtratum partium firmata.

Digitized by Google

quo anno Marchiae Camerinenſis, & Spoletanae principatum ceſſit.

XXV. *Ademaro* [1] Principi Capuano; & poſt *Ademarum* locum habet in hac ſerie

XXVI. *Joannes* forte Creſcentii filius, *Apoſtolicae Sedis deſtructor* appellatus [2] qui ob ejus perverſitatem Ducatu ſpoliatus, locum dedit

XXVII. *Raimaro*, quem in ſcenam prodire faciunt laudati Camaldulenſes Chroniſtae, certiſque documentis Ducem, & Marchionem firmant ab anno 1014. ad 1018. [3]

XXVIII. *Hugonem* alterum ante annum 1020. ex ſchedis S. Blaſii, & S. Catharinae Fabriani nobis exhibent celebrati Scriptores, eratque ille annus VI. ſui Principatus [4], ergo annus 1014. fuit ſui Ducatus primus; & forte *Raimaro* in dominatu ſucceſſit

XXIX. *Tranſmundus* anno 1038. [5] Dux, & Marchio habetur, forte vita functo Ugone II; & poſt *Tranſmundum* Dux, & Marchio occurrit

XXX. *Ugo* III., qui ex ſchedis S. Catharinae de Fabriano in Annalibus Camaldulenſibus [6] productis anno 1040. IV. computabat annum ſui Ducatus, & ſic doctiſſimi Chroniſtae [7] ſupplent Muratorium, qui tam in Antiquitatibus medii aevi, quam in Annalibus Italicis unicum *Ugonem* Ducem, & Marchionem Spoletanum cognovit. Hunc propterea *Ugonem* ſucceſſorem facimus *Tranſmundi*, tenuitque Ducatum ad annum 1043. ex ſcheda, quam Camaldulenſes Scriptores exhibent in appendice documentorum ad hunc annum [8]; qui ſui Ducatus erat VI. Poſt *Ugonem III.* in una charta ſcripta anno 1058, quam corrigunt docti Chroniſtae, illamque potius ad annum 1056. conſignant, *regnantes domno Enrigo Imperatore, & Papa Victore, Duce & Marchio* [9] habemus

XXXI. *Victorem Papam* Ducem Spoletanum, conſule laudatos Scriptores, qui ſcribunt = *Quod Victor II. Papa appellatur Dux, &*

C *Mar-*

(1) De Ademaro haec habent doctiſsimi Camaldulenſes ſcriptores = *Ergo Ademarus, quem Principem Capuae alibi diximus, hoc anno (999) Hugoni renuncianti ſucceſſor datus eſt in ducatu Spoletano, & in Marchia Camerinenſi; ut proinde nullo jure carpere debeat Muratorius (Annal. Tom. V. Part. 6.) Damianum aſſerentem Hugonem ceſſiſſe Marchiam, & ducatum Imperatori.* Quanto tempore in regimine eatum Provinciarum perſtiterit *Ademarus*, non liquet.

(2) Sic a Ditmaro, & ab annaliſta Saxone.

(3) Annal. Camal. lib. IX. Tom. I. pag. 385.

(4) Annal. Camal. Tom. II. lib. XI.

(5) Murat. Annal. d'Ital. ad ann. 1038.

(6) Annal. Camal. Tom. I. lib. IX. pag. 385.

(7) Annal. Camal. ubi ſup.

(8) Annal. Camal. Tom. II. app. docum. num. LII. pag. 101.

(9) Annal. Camal. lib. XIV. num. XLI. pag. 166. appen. docum. num. LXXXVIII. col. 162.

Digitized by Google

Marchio, alia exempla proſtant apud Ughellium (Tom. I. col. 353.), quem laudat etiam Muratorius (Tom. I. col. 287.) in diſſertatione de Marchionibus, afferentem placita habita in Urbe Pinuenſi, & in Urbe Marſorum. Henricus enim III. Imperator in Germaniam ex Italia tranſiens anno 1056. Marchiam Camerini, & Ducatum Spoletanum regenda commiſerat amiciſſimo ſuo Romano Pontifici Victori, quem adeo dilexerat, ut ex ſimplici clerico, quod ſuperius diximus, Epiſcopum, & ſupremum Eccleſiae Hierarcham conſtitueret &c.

XXXII. *Gothifredus* Dux, & Marchio anno 1061. computabat annum III. ſui principatus [1] ejuſque memoria in ſchedis Fabrianenſibus [2] durat ad annum 1070, quo *Gothifredus* XIV. computabat annum ſui Ducatus, quem tenuit ab anno cir. 1059. per annos XIX. [3]

XXXIII. E vivis ſublato *Gothifredo Beatrix illius* conjux, & magnae Comitiſſae Mathildis Mater jus dicebat in Marchia Camerinenſi die 25. Maji ann. 1070. Ergo jam inter vivos eſſe deſiit Gothifredus ejus vir. [4]

XXXIV. *Mathildes* tandem Ducatum tenuit cum viro ſuo *Gothifredo, Gibbo dicto*, illumque rexit ad annum 1115, qua vita functa, Ducatus Spoletanum ad Romanam Sedem ob celeberrimam illam donationem a piiſſima Principe R. Eccleſiae factam tranſiit, & *legitima* Camerinenſium *Marchionum, & Ducum* ſeries ceſſavit. [5]

§. VII.

EXtincto igitur legitimo Camerinenſium Marchionum principatu, vita *functa*, ut ſupra dictum eſt, anno 1115. magna Comitiſſa Mathilde, illiuſque Marchiae dominatione ad S. R. E. devoluta, Camerinum tunc quaſi vetuſta ſua libertate potitum exempla ſequens aliarum Italiae Civitatum, quae quaſdam ſibi conſtituerant civicas domeſticas ſocietates, quas *Commune* dixerunt, ſuum ſibi ſelegit Magiſtratum, penes quem jus eſſet rempublicam adminiſtrandi; ſicut anno 1107. ſub Enrico IV. aliae Italiae Civitates jam perfecerunt, ſeligendo *Conſules* e praeſtantiorum Civium numero, qui populum, Ci-

(1) Annal. Camal. ubi ſup.

(2) In iiſd. Annal. app. docum. num. XCVII. col. 177, & in diplomate Ugonis Epiſc. noſtri in app. ad ann. 1061.

(3) Ubi ſupra num. CXXIX. col. 226.

(4) Chroniſtae Camaldulenſes lib. XIX. Tom. II. num. XV. pag. 338. obiiſſe ſcribunt Gothifredum anno 1069. die 11. *Decembris* ex hiſtoria Andagineni num. 32.

(5) Camerinenſium Marchionum *legitimam* dicimus ceſſare *feriem* in Comitiſſa Mathilde; illos enim, qui in illius dominationem, vel ipſa vivente, ſe ſe intromiſerunt imperatorum freti potentia, omnino rejicimus. Sollius enim ſanctae ſedis poſt Mathildis obitum, jus erat ducatus Spoletani praefigere rectores. In ſerie noſtrorum Antiſtitum intrufos hos dominos opportune notabimus; & praeſertim ſub Ugonis Epiſcopatu ad notae num. VIII.

Digitized by Google

*Civitate*mque gubernarent. Ab hiſtorico Lilio *Conſulum* Camerinenſium nulla nobis memoria profertur. A tabulario tamen Montecchii ſcheda nobis offertur ad annum 1198, quam habes in appendice; ab eaque certiores reddimur *illo jam* tempore Camerini quinque praefuiſſe *Conſules*, qui foedus cum Montecchiana gente jecerunt. Oppidum Sanſeverini anno 1177. ſuos habuiſſe *Conſules* a Friderici I. Imperatoris diplomate patet, quod vulgavit Muratorius, & nos ad fidem autographi in appendice producimus. Argumentari exinde poſſumus circa medium XII. ſeculum Camerinenſes ſibi *Conſules* ſelegiſſe. Labente vero XII. ſeculo novam gubernandi formam italicae Civitates aſſumpſerunt, & Conſulum dominatum deteſtantes, Rectores elegerunt advenas, quos *Poteſtates* appellarunt. In Lilii hiſtoria [1] *Poteſtatem* Camerini habemus commemoratum anno 1207, quando Camerinenſes, ſumptis armis contra Caſtrum Belfortis, & Riccomannum Conſulem Oppidanos, praeſidente *Theobaldo* Camerinenſium *Poteſtate*, ſubegerunt. Quamvis vero per haec tempora *Marquardus* ab Henrico VI. anno 1195. Ravennae, & Anconae Marchio dictus ſit, & in Camerinenſes principatum extenderit; attamen populus Camerinenſis a ſelecto ſuo Magiſtratu regebatur, quemadmodum cl. Chroniſta Ravennas Hieronymus de Rubeis documenta producit ad probandum Ravennates per illa tempora ſuae Civitatis regimen jam aſſumpſiſſe ſelecto ſuo *Poteſtate*; & penes Commune juriſdictio, & cenſus erant, e quibus Marchioni vectigalia perſolvebantur. [2] An Commune Camerinenſe Marquardo, aliiſque Marchionibus vectigal aliquod perſolverit, *non liquet*. Vix vero Innocentius III. ad R. Sedem aſſumptus eſt anno 1198; Marquardum [3] ab Anconitana Marchia fugavit, & cum aliis Civitatibus Camerinum ad fidem redegit. Synibaldus tit. S. Laurentii in Lucina Cardinalis in Marchia Anchonitana Pontificis Legatus eximiis privilegiis cumulavit Civitatem; & inter haec confirmavit populo Camerinenſi jura in Oppidis & Caſtellis in agro ſuo, & [ut dicunt] *diſtrictu* poſſeſſis diplomate dato anno 1246; & Innocentii IV. Apoſtolicis literis firmato dat. id. Martii anno illius Pontificatus IIII. [4] & ſunt = *In primis Caſtrum Serravallis cum ſuis pertinentiis. Vallis Solandrii, Villa Maſſae cum ſuis pertinentiis. Marcia. Fegorium. Prefolium, & Villa Sancti Angeli de Prefolio. Antichum. Caprilia. Vallis Coraccinii. Frontillum. Roccha Maji. Collaltum. Sentinum. Cor-*

ve-

(1) P. I. lib. V. pag. 227.
(2) Annal. Murat. ad ann. 1195.
(3) Lil. Part. I. lib. VIII. pag. 226.
(4) Altera confirmatio ejuſdem Innocentii IV. XI. honas Dec. anni 1247. habetur ex tabul. V. Vir. aſſervato in Aedibus publicis. Laudatae conceſſionis Card. Synibaldi Fieſchi poſtea ab eo ad Pontificatum aſſumpti ſub nomine Innocentii IV. confirmatae meminit Bartolus conſil. 196.

Digitized by Google

venanum. Colpolinum. Balvellum. Colmedium. Flengi. Flaſtra. Aequacanina. Bologna. Caſtrum S. Maroti. Roccha Aguiſtionis. Valliſgec. Flugum Campulargum. Hactum. Borgianum. Borgianellum. Belforte. Serra filiorum Petronis, & villa Ariae cum tota Curia & hominibus earumdem & juriſdictionem, quam Curia habet in ipſis, Caſtro Serrae, Villa Ariae, & hominibus vobis pro communi concedimus. Item *Caldarola. Ceſſapalumbum. Moricum. Montealtum. Veſtignanum. Faverium. Ancagianum. Galli. Roccha filiorum Tornaguerre. Ville ultra Potentiam verſus Mathelicam. Fluminata. Sefre. Avolla. Criſtatum ſorti. Copongua, & alia Caſtra, & Ville infra Comitatum Camerinenſem dicte Civitati pertinentia quoquomodo, & ſpecialiter Caſtrum Sancte Anatholie, & Caſtrum Petini cum ſuis Pertinentiis, & hominibus. Juriſdictionem vero, quam Eccleſia Rom. habet, vel conſuevit habere in Lauzano, & ſuis adjacentiis, & quibuſdam hominibus ultra Potentiam vobis de gratia duximus concedendum. Nihilominus etiam Juriſdictionem, quam Eccleſia debet habere, vel Curia in Caſtro Caldarole & habet vobis plenius concedentes.* [1]

Camerinenſis Reſpublica ita ſe geſſit ad annum 1259, quo ab impii Manfredi Regis copiis, Civitate vaſtata, & disjecta, Camertes inter ſublimiora, magiſque impervia Umbriae montium juga profugi cum filiis, & uxoribus ſe ſe abdiderunt [2]. Tandem, extincto impio Manfredo, reſpirarunt Camerinenſes, depoſitoque timore, auxiliantibus Perufinis, Ploracum, ubi Rainerii de Braſchis patriae proditoris copiae morabantur, expugnarunt; Sicque Civitas in illorum poteſtatem redacta eſt. Tunc ſummo ſtudio Civitatis ruinas reparare, & domus disjectas aedificare caeperunt. Fuit pariter Cathedralis Eccleſia exaedificata; & in templi facie Rainerii proditoris imaginem coloribus expreſſam, facibus Camertes combuſſerunt, & ſingula illius patrimonia fiſco applicata ſunt, ſylvae incenſae, praediaque populo Camerinenſi diſtributa. *Poteſtatem* mox elegerunt *Jacobum Urſinum*. Generalia comitia, & conſilium *de credentia* ſtatuta ſunt cum Magiſtratu, quem dixerunt, *De' nove*.

Poteſtatum auctoritas, quamvis ad ſex menſes reſtricta, quum eſſet ampliſſima, plebi, utplurimum a Nobilibus diviſae, exoſa facta eſt; & propterea ad Reipublicae regimen accivit plebs *Capitaneum Populi* ſeu *belli*, qui Poteſtatis auctoritatem minueret, & cui milites tam Oppidani, quam exteri obedirent [3] & ad hoc munus aſſumptus fuit *Gentilis* de Varano, quem in ſerie Varaniae gentis

(1) Integrum documentum habes in app. ad annum 1140; quod refert Lil. P. I. L. VIII. pag. 240, ſed parum caſtigatum & obtruncatum.

(2) Lil. iſt. di Cam. in ſupplem. P. Cam. P. I. L. X.

(3) Lil. Part. I. lib. X. ſupplem. P. Camer.

Digitized by Google

tis primum dicimus, fuitque *Rodulphi* filius. Duce Gentile I. Caſtra Rainerii proditoris, aliaque permulta, quae ad Civitatis ruinas exarſerant, Camerinenſes recuperarunt, nonnullaque attriverunt. Quo factum eſt Ghibellini, quorum opera Camerinum fuit everſum, ultro Camerinenſi populo ſua caſtra tradiderint, implorata omnium delictorum venia a die perpetratae Urbis vaſtitatis; pacemque reportarint.

Gentilis primus filium habuit *Berardum* (1), & hic *Berardus* filium habuit alterum *Gentilem* (2), qui à Clemente VI. Vicarius Apoſtolicus pro Romana Eccleſia ſelectus eſt per annos XII. Civitatis Camerinenſis, in cujus munere ſucceſſerunt illius filii, & nepotes. Mox a Cardinale Alburnotio ſub Innocentio VI. anno 1354. ad idem Vicariatus munus in Oppido *S. Geneſii* aſſumptus eſt per annos XII. [3]. Labente XIV. ſeculo a Bonifacio IX. per decennium fuit confirmatus *Gentilis* in Civitate Camerini, & *S. Geneſio*; & inſuper Vicarius Apoſtolicus dictus eſt in Oppidis *Tolentini*, *Cerreti pontis*, *Monticuli*, *Belfortis*, *Sarnani*, *Amandulae*, *Montis Martini*, *Gualdi*, *Viſſi*, & *Montis ſancti* in Umbria ſiti, cum onere certi cenſus perſolvendi [4] R. E. praeſtitoque fidelitatis juramento in manibus Camerarii Apoſtolici per Procuratorem prius, mox perſonaliter coram Bartholomeo de Barbatiis Archidiacono Beneventano, ſanctaeque Sedis in illis partibus Nuncio. Ab Innocentio VII. fuerunt in eodem Vicariatu confirmati ad ſeptennium filii ſupradicti *Gentilis Rodulphus*, aliique fratres, iis ſuperaddito Vicariatu *Pennae S. Joannis* [5]. Tandem a Conſtantienſis Concilii Patribus anno 1416. confirmata illis fuerunt *Camerinum* in Gubernationem, reliqua Oppida in Vicariatum: *Tolentinum*, & *S. Geneſium* in Foeudum, & *Murris Vallium* caſtrum in Gubernationem, ex diplomate, quod damus integrum in appendice ad annum 1416. Martinus V. confirmavit illis Vicariatum *Belfortis*, *Monticuli*, *Cerreti pontis*, *Viſſi*, *Montis Sancti*, *Sarnani*, *Murri*, *Montis Milonis*, *Appignani*, *Montis fortini*, *Montis S. Petri*, *Pennae S. Jo:*, *Amandulae*, & *Gualdi* ad triennium pro cenſu conſtituto ſub Innocentio VII, & praeterea pro *Murri*, *Appignani*, & *Montis fortini* caſtris

25.

(1) In Geneſina hiſtoria M. S. Severinii habemus *Berardum* Gentilis filium inter Geneſinos Cives cooptatum anno 1305. adhuc juvenis Berardus tum Bononienſium, tum Bonifatii VIII. armis praefuit.

(2) Anno 1328. S. Anatholiae praeſidebat Poreſtas Berardi filius Gentilis, quo tempore Municipalis illius oppidi Leges fuerunt reformatae.

(3) Hiſt. Geneſen. M. S. Severinii.

(4) Solvebant Varanii pro Tolentino, & S. Geneſio Flor. auri 300. Pro Monticulo 171. Pro Cerreto Pontis 70. Pro Belforte 50. Pro Sarnano 50. Pro Amandula 100. Pro Monte Martino 10. Pro Gualdo 30. Pro Viſſo 100. Pro Monte Sancto 80.

(5) Pro Penna S. Jo: cenſus erat unus mulus, vel una mula bona.

Digitized by Google

25.flor. & pro *Monte Milone* 40.flor. auri de Camera [1]. Voluit etiam in *S. Gineſio*, & *Tolentino* Varanios *Proceres* Vicarios eſſe perpetuos.

Varaniae tamen gentis ad ſummum gloriae, & honoris pervenit principatus, cum a Leone X. anno 1511. *Joannes Maria primus dux Camerinenſis* fuit appellatus. Sic hujus Civitatis jura ad Varanios tranſierunt. Horum ducum Camerinenſium, & Apoſtolicorum Vicariorum viciſſitudines in ſerie noſtrorum Antiſtitum ſparſas reperies.

§. VIII.

ANno tandem 1545. Camerinum pacifico ſe R. Pontificis imperio dedit ſub Paulo III, qui largas Civitati contulit gratias a Lilio relatas [2], miſſo a latere Legato Card. Durante de Durantibus ad novam Camerini Civitatis gubernationem ordinandam. Praeeſt nunc Civitati, ejuſque ſtatui *Praeſul* U. S. R. Jura dicit Praeſulis [ut vocant] Locumtenens, & *Poteſtas* a Civitate ſelectus. Ad augendum Civitatis ſplendorem Benedictus XIII. Idib. Jul. anni 1727. eam ampliſſimo Studiorum Univerſitatis privilegio decoravit; ac ſubinde Franciſcus I. electus Romanorum Imperator idem Privilegium ſub die 13. Aprilis anni 1753. ad terras totius imperii ampliavit.

Politicum regimen eſt apud V. VIR. qui rempublicam adminiſtrant. Sunt ex Patriciis, qui Priores dicuntur, ſorte extracti, eorumque regimen ad bimeſtre durat. Res majoris ponderis in Comitiis generalibus proponuntur, quibus nunc LX. Patricii plebe ſemper ſecluſa, praeſunt; & hic honor jure haereditario tranſit a Patre ad filios, & nepotes. Concilium etiam tenent, quod dicunt de credentia, XII. ſelecti Patricii, in quo ea pertractant, quae in generali Concilio mox ſunt proponenda. Jus habet hoc concilium nonnulla decernendi, & de illis pro quibus ſtatuendis ardua res eſſet, generalia comitia convocare. Illuſtris ille Magiſtratus miniſtros, famulos, tibicines alit, ſummamque majeſtatem praefert, & reverentiam. Diurnam in nobili, & magnifica aula moram ducit, & reſidet; ſplendideque inibi quotidie accumbit. In aula maxima illuſtriora Civitatis monumenta collecta ſunt; quae ſequenti §. damus una cum aliis in Civitate, & alibi ſervatis.

§. IX.

(1) Excerpſimus hanc Cenſuum taxam a locupletiſſimo indice M. S. *Vicariatuum, & inpheudationum Civitatum, Terrarum, & Caſtrorum, quae reperiuntur deſcripta in libris inveſtiturarum Archivi S. Angeli Almae Urbis Michaelis Leonii Clerici Eſſenſis Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Bartholomaei tit. S. Mariae in Porticu S. R. E. Praeſbyt. Card. Ceſi nuncupat. familiaris domeſtici labore, & diligentia in unum digeſta.* Quem indicem a nobili Viro Fideli Collio Patricio San-Severinate humaniſſime accepimus.

(2) Lib. ubi ſupra P. II. Lib. X.

Digitized by Google

§. IX.

QUas hic damus Civitatis Camerini antiquas inſcriptiones, praeter IV, & V, affert Lilius in hiſtoria ſua.

I.

C. CAE . . . . . .
AVG . . . . . .
PATR . . . . . .

S . . . . . .

Hanc inſcriptionem profert Lilius Par. 1. Lib. 1. pag. 21; aſſeritque affixam reperiri in campeſtri janua cujuſdam vineae.

II.

M. MAENIO. C. F. COR. AGRIP
PAE. ET. VSIDIO. CAMPESTRI (1)
HOSPITI. DIVI. HADRIANI
PATRIS. SENATORIS. PRAEF. COH.
II. FL. BRITTON. EQVITAT.
ELECTO. A. DIVO. HADRIANO.
F. T. MISSO. IN. EXPEDITIONEM. BRIT
TANICAM. TRIB. COH. I. HISPA
NOR. EQVITAT. PRAE. ALAE. I.
GALLOR. ET. PANNONIOR. CATA
PHRACTAE. PROC. AVG. PRAEF.
CLASSIS. BRITANNICAE. PROC.
PROVINCIAE. BRITANNIAE
EQVO PVBLICO. PATRONO MVNI
CIPI. VICANI. CENSOR. GLACENSES.
CONSECVTI. AB. INDVLGENTIA.
OPTIMI. MAXIMIQ. IMP. ANTO
NINI. AVG. PII. BENEFICIO. INTER
PRETATIONIS. EIVS. PRIVILEGIA.
QVIBVS. IN. IVRE. CIVIVM. AVCTI.
CONFIRMATIQVE. SVNT. L. D. D. D.

Inſcriptionem hanc in aedibus publicis Camerini ſervatam fuiſſe ſcribit Lilius P. 1. Lib. 1. pag. 25. erutamque aſſerit e Campo Mar-

(1) L. Tuſidii Campeſtris memoriam habemus in inſcriptione Maceratenſi affixa parieti domus D. D. de Herculanis, in qua legitur L. TVSIDIVS CAMPESTER, non CAMPESTRIS ut habet in ſua Regia Compagnonus pag. 37.

Digitized by Google

Martio. Hodie haec inſcriptio deperdita eſt. Profert etiam hanc inſcriptionem Raineſius [claſ. VI. num. 128. pag. 462.] attamen loco ET. VSIDIO legit L. TVSIDIO. Quam damus inſcriptionem eadem eſt ac illa Raineſii, ommiſſo exemplo a Lilio producto.

III.

. . . . * . IMP. CAESARIS . . . . P. P.
LEGAT . . . . * . . PROC. EVG.
IIIII. VIR . . * . L. D. D. D. P

Fragmentum hoc e Campo Martio pariter erutum dat Lilius P. I. Lib. I. pag. 28.

IV.

C. VEIANIO CRI
COR RVFO FILIO
AEDIL IIII. VIRIO PATRO
NO MVNICIPII ET COMPLV
RIVM CIVITATIVM BOVORV
M. C. ... CV. APRE ..... STINOR.
DATO A MAXIM. IMP.. NO
NINO AVG. . . . . .
ANTONINI AVG. FELIIININI DI
VO AVG. TAVRIN. SACERDOT.
ORNATO HVIVS PATER ANNO. . . .
CARVATES SAEPIVS SVSTINVIT
EPVLVM FREQVENTER DEDIT
MVNICIPES CAMERTES OB PLVRIM
ET MAXIMA BENEF. PATRES EIVS ET PA
IN SE CONLATA HONOR ACCEPTO
QVOT CONTVLER REMISII CVIVS DE
DIC PVB. L. D. D. D.

Lapis cum inſcriptione in Campo Martio repertus fuit, anno 1752. & in aula maxima prioralium aedium fuit expoſitus.

V.

IMP. CAESAR
M. AVRELIO ANTONINO AVGVSTO
ARMENIACO
TRIB. POT. XVIII
IMP. II. COSS. III. PONT. MAXIMO
I. P. D. D.
VbLICE

In

Digitized by Google

In Campo Martio anno 1752. fuit haec inſcriptio reperta; & in Aula maxima prioralis Palatii fuit collocata.

VI.

. . . . . .
. . . . . VERO
AVG. ARMEN
. ACO. TRIB. POT.
IIII. IMP. II. COS. I. I.
PONTIF. MAX. P. P.
D. D. PVBLIC.

Hanc exhibet Lilius P. I. Lib. I. p. 30. a Campo pariter effoſſam.

VII.

IMP. CAESARI
L. SEPTIMIO. SEVERO.
PIO. PERTINACI. AVG.
ARABIC. ADIAB. PARTIC.
MAX. BRIT. MAX. TR. POT.
XVIII. IMP. XII. COS. III. P. P.
CELESTI. EIVS. INDVLGENTIA
IN. AETERNAM. SECVRITATEM
ADQVE. GLORIAM.
IVRE. AEQVO. FOEDERIS. CONFIRMATO
CAMERTES.

In aula maxima prioralis Palatii haec inſcriptio legitur, quam etiam profert Lilius ut ſupra pag. 31.

VIII.

IMP. CAESARI. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO.
PERTINACI. AVG. ARABICO. ADIAB. PARTH.
MAX. BRIT. MAX. PON. MAX. TR. POT. XVIII.
IMP. XII. COS. III. PRO. COS. P. P. ET. IMP.
CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELI
CI. AVGVSTO. PONT. TRIB. POT. XIII. IMP.
II. PROCOS. P. P. DEVOTA. NVMINI. ET. MA
IESTATI EOR. COH. II. VIG.

Habet hanc inſcriptionem Panvinus in faſtis, & Gruterus in Severo. Lilius illam affert ut ſupra pag. 31.

Digitized by Google

IX.

. . . . . INO. BAS . . . . .
. . . . . SEV. P . . . . . .
. . . . . PII. AVG. F . . . .
M. PIO. AVG. BRITTANNICO.
CAMERTES.
QVI. AB. EIVS. SP . . . . . ENTIA. ET EQ . . .
. . . . . VIT. III. D. SVNT.

Fragmentum hoc asserit Lilius [loco ut supra pag. 33.] repertum in Suburbio S. Georgii anno 1608.

CAPUT II.

De ortu Ecclesiae Camerinensis.

I. Primis Ecclesiae seculis mittebantur ad gentes *Episcopi Apostolici*, & hos habuit Camerinum.
II. Ecclesia Camerinensis Episcopos Cardinales probabilius non habuit primis saeculis.
III. Episcopi Cardinales Ecclesiis dati sunt vel labente III, vel IV. saeculo ineunte generaliter loquendo.
IV. Ordinationes Episcoporum a Lino ad Melchiadem recensentur.
V. Numerantur Episcopi a Silvestro ad Anastasium, & argumentatur sub iis R. Pont. ortus Dioeceſium.
VI. Agitur de Synodo sub Cornelio celebrata anno 256.
VII. De Synodo habita sub Melchiade anno 313. Argumentatur ortus Camerinensis Ecclesiae vel labente III. seculo, vel IV. ineunte.

§. I.

IN ipsis Ecclesiae primordiis, quum sedem suam beatus Apostolus Petrus Romae fixit, & post illum ejus successores, Camerinum, & ad alias Italiae civitates missos fuisse Apostolicos Episcopos [1] ad Fidem Catholicam disseminandam, Ecclesiasque constituendas, aper-

[1] Apostolicos Episcopos vocamus illos nullis addictos Ecclesiae Episcopos Cardinales; cl. Henschenii phrasem adhibuimus in diatriba praeliminari ad tom. I. mensis Aprilis Bolland. scribentis: *Traditur usque ad tempora S. Evaristi superfuisse S. Clemens, sed privatus, aut apostolicus Episcopus, ideſt nulli cathedrae adstrictus*: id forte tunc exigente Ecclesiastica disciplina.

Digitized by Google

apertè teſtatur celebris illa Decretalis littera Innocentii I. ad Decentium Eugubinorum Epiſcopum data, in qua haec habentur: *Manifeſtum eſt in omnem Italiam nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Ven. Apoſtolus Petrus, aut alii ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes*. Hinc cl. Mammachius [1] in ſuis originibus chriſtianis argumentatur ſic: *Diſtuliſſe autem eos, nempe Petri ſucceſſores, ad tertium, quartumve ſaeculum, ut in Italia religioni latiſſimè propagandae operam darent, cum in remotiſſimis regionibus propagata ſecundo ſaeculo eſſet, ut ne vicus quidem eſſet, in quo Chriſtus minime coleretur, nunquam credam*. Certa igitur res eſt, ſub initio primi, & ſecundi ſaeculi Petrum, ejuſque ſucceſſores ad Chriſti fidem propagandam operam navaſſe mittendo Epiſcopos, alioſque Apoſtolicos Viros ad Civitates praeſertim illas, ubi ethnica ſuperſtitio magis vigebat: Hac de cauſa Camerinum per illa tempora hujuſmodi habuiſſe Epiſcopos ad fidem propagandam, & ethnicam ſuperſtitionem eliminandum minime dubitamus. [2]

§. II.

AN vero hujuſmodi Epiſcopi Camerinenſem Eccleſiam primis illis ſaeculis fundaverint, dubia res eſt, & pluribus involuta difficultatibus. Primo enim & ſecundo ſaeculo Italiae Civitates Epiſcopos habuiſſe Cardinales negat Thomaſſinius, [3] qui non haeſitavit aſſerere: *Ordinabantur non Civitati uni ejuſmodi Epiſcopi, ſed univerſae nationi*: ſubditque rationem: *Propterea quod perſaepe nec nota quidem erant Civitatum nomina. Adde quod viris apoſtolicis, proinde ut apoſtolis ipſis, obſequendum erat ſpiritui, cujus impetu rapiebantur; nec remorandus evangelicae victoriae curſus velociſſimus*. Idipſum repetit Jo: Maria Biemmius in ſua Brixiana hiſtoria, [4] qui fundationes Eccleſiarum ante ſaeculum tertium appellat fabuloſas; & provinciis aſſignat tantum Epiſcopos vagantes. Id etiam repetit eruditus Pannellius [5] in memoriis S. Leopardi Epiſcopi Auximani. In hiſce

[1] Mammach. Lib. II. Orig. Chriſtian.

[2] Acta S. Feliciani Epiſcopi Fulginatis ex Codice membranaceo Aſſiſii adſervato habent: *Dei predicator* (Felicianus) *ad penninas alpes tranſiens ad Picenam provinciam pervenit, ubi multas urbes ſcilicet pinnam Aſculum firmum auximum doricamque Anconam Senogalliamque in Pentapoli regione ſita eſt convertit ad dominum*. [in vet. m. 1. Lection. Cath. Eccl. Aſſiſii de S. Feliciano Ep. & Mart. lect. IX.) Jacobillius haec amplificans (cap. II. n. 24. de' SS. dell'Umbria) inter Civitates a Sancto Feliciano ad Chriſti Fidem converſas addit Aeſium Fanum Forum-Sempronii, Piſaurum *Camerinum* Tolentinum Cingulum, quae Civitates in laudatis actis S. Feliciani reticentur.

[3] De nov. & vet. Eccl. diſcipl. Tom. I. lib. 1. cap. 54.

[4] Biem. hiſt. di Breſcia Tom. I. lib. IV. pag. 185, e 188.

[5] Pannel. mem. di S. Leop. Diſſ. prelim. cap. III. pag. XVI.

Digitized by Google

ergo naſcentis fidei ſeculis Epiſcopos praefigere Cardinales Civitatibus, generaliter loquendo opus videtur omnino immaturum. Expectandum erat prius, ut in illis regionibus aliqualis fidelium numerus creſceret; idque tot inter Catholicae Fidei hoſtes, & tyrannos; quod nonniſi poſt plurimorum annorum curſum poterat haberi. Interim vero Epiſcopi non ad peculiares Eccleſias, ſed ad gentes, & regiones miſſi fuiſſe credendi ſunt, ut Chriſti fidem promoverent, fidelium neceſſitatibus huc illuc accurrentes, ad fidem converſos ſolidarent, & ad perferendas ethnicorum perſecutiones illos fortes redderent: quo factum eſt, ut Epiſcopi illi ſanctiſſimi utplurimum martyrii coronam obtinuerint.

§. III.

NUmerus vero Epiſcoporum a R. Pontificibus ad italicas provincias, & aliò miſſorum aequare ſane non poterat numerum Civitatum illarum regionum, quo mittebantur: & propterea aſſerere non poſſumus ſingulas Italiae Civitates habuiſſe Epiſcopos ſuos, qui Eccleſias in illis fundaverint: quod tuto conjicere poſſumus, generaliter loquendo, eveniſſe vel labente III. ſeculo, vel IV. ſeculo ineunte poſt datam a Conſtantino magno Eccleſiae pacem, non illico profecto, ſed pedetentim.

§. IV.

ET revera, ſi a Lino Petri ſucceſſore ordinationes Epiſcoporum computare velimus, ad Melchiadem Silveſtri praedeceſſorem, inveniemus, juxta Pagium, infra annos 260. [tot enim anni a Lino ad Silveſtrum Pontificem ordinatum anno 314. interceſſerunt ſi demas annos 52. Pontificatus S. Petri terminum] fuiſſe a 32. Pontificibus ordinatos per diverſa loca antiſtites 258. numerus ſane tam parvus Epiſcoporum remanet; ut, ſi hunc cum illis annis 260. conferas, invenies duo minus Epiſcopos ordinatos, ut ſingulis illis annis 260. unum tantum Epiſcopum aſſignemus. Major ſiquidem infra haec tempora Epiſcoporum ordinatio una fuit ſub Lino, altera ſub Eleuterio, quae numerum XV. Epiſcoporum attingunt. Ordinatio tantum a Marcello, qui Eccleſiam regebat anno 308, habita, fuit 21. Epiſcoporum. Id vero contigit, quia Maxentius initio ſui imperii finem perſecutionum impoſuit in Chriſti fideles, & oppreſſa religio aliquantiſper reſpiravit: [1] quamvis poſtea nullum impietatis, aut

(1) Pagius Brev. ad ann. 308. ſect. XXI. num. 1.

ant libidinis genus ille Imperator praetermiſerit, ut tradit Euſebius: [1] donec triennio poſt circiter a Conſtantino M. debellatus eſt, & Eccleſia firmiori ab illa, quam prius Maxentius dederat, pace quievit.

§. V.

PRoſequentes deinde nos ordinationes Epiſcoporum a Silveſtro ad Anaſtaſium per annos videlicet 87, inveniemus numerum Epiſcoporum ordinatorum eſſe CCII. Id aperte probat ad haec utique tempora Silveſtri ſcilicet & Anaſtaſii, & non prius Dioeceſium generalem ortum eſſe figendum. Propterea legimus poſthac R. Pontifices concilia, conventuſque ſynodales magno Epiſcoporum undique accitorum concurſu perſaepe congregaſſe, & illorum nomina in ipſis conciliorum actis, utplurimum, obſignata leguntur. Ante vero S. Sylveſtrum perpauci Synodales conventus Romae ſunt habiti, qui numerum XIII. juxta Labbeum vix attingunt; tam parvo ipſorum Epiſcoporum concurſu, ut praeter unum ſub Cornelio [2] coadunatum anno 251, quo convenerunt LX. Epiſcopi contra Novatianum adprobantes Concilium Carthaginenſe, & alterum ſub Melchiade, quo juxta eundem Labbeum [3] XIX, juxta Pagium [4] XVIII. Epiſcopi interfuerunt; reliqui conventus numerum XIV. Epiſcoporum non excedunt. Reapſe anno 146. ſub Pio, XII; anno 170. ſub Aniceto, X; anno 197. ſub Victore XIV; item ſub eodem anno 198. alii XIV. recenſentur Epiſcopi. In reliquis Epiſcoporum numerus penitus ignoratur.

§. VI.

NE vero quis miretur ſub Cornelio habitam fuiſſe Synodum concurſu Epiſcoporum LX; perpendendum eſt anno 251. Epiſcopos Africanos Concilio ab ipſis in Civitate Cartaginenſi habito menſe Majo Novatiani ſchiſma damnaſſe, [5] quo tempore Sedes Romana vacabat ob mortem Fabiani, qui anno 250. die 20. menſis Januarii ſupremum obiit diem. [6] Deinde, quum Dei Eccleſia aliquali pace quieſceret ob abſentiam ab Urbe Decii Imperatoris Chriſtianos perſequentis, potuit Romanus Clerus poſt XVI, & ultra menſes ad electionem

(1) Euſeb. lib. VIII. cap. 14.
(2) Pagius Brev. ad ann. 251. ſeſſ. XXII. num. 1.
(3) Labb. Collect. Concil. Tom. 1. ad ann. 310.
[4] Pag. ad annum 310. ſeſſ. XXXIII. num. VI. in Brev.
(5) Pag. ubi ſupra ad ann. 251. ſeſſ. XXII. num. VI.
[6] Id. ubi ſupra ad ann. 236. ſeſſ. XXI. n. 1.

Digitized by Google

nem novi Pontificis devenire, & die 4. Junii ejusdem anni 251. Cornelium eligere, & forte eo ipso tempore, quo contra Decium insurgens Lucius Valens fuit hic Imperator proclamatus, & Ecclesia persecutore quiescebat, peropportunè habita fuit Romae Synodus illa LX. Episcoporum forsan plerorumque Africanorum. Scribit enim Eusebius [1] italicos Episcopos variis detentos curis non potuisse ad Concilium accedere; & propterea summa animi demissione illos ejus decreta excepisse, suosque sensus per literas ad R. Pontificem datas expressisse. Persecutio vero Galli, & Volusiani, qui ad imperium assumpti fuerunt post Decii obitum, qui sub initium mensis Decembris anni 251. contigit, ad mensem circiter Majum anni 253, post aliquot menses ab illorum electione suscitata fuit. Ita in sua Ecclesiastica historia doctissimus & Ernius Orsius ad haec tempora. [2]

§. VII.

QUoad Synodum sub Melchiade habitam Romae in Aedibus Faustae in Laterano anno 313. die 2. Octobris praesentibus XVIII, vel XIX. Episcopis contra Donatistas, quum huic Synodo obsignatus legatur *Stemmeus Episcopus Ariminensis*, apertè dignoscitur per illa tempora jam aliquibus civitatibus datos fuisse Episcopos Cardinales. (3) Caeterum antea nullum legimus generale Concilium tentatum, quamvis pullulantes in dies haereses id exigerent opportunum. His ergo rationibus magis, magisque nos firmati generalem Dioecesium ortum figere cogimur vel labente seculo III, vel IV. ineunte; & circa haec tempora & non prius Camerinensi Ecclesiae suum Cardinalem Episcopum tuto possumus assignare. Quis forte fuerit, ad nostram Antistitum chronotaxim proferemus.

CAPUT III.

De ambitu Dioecesis Camerinensis.

I. Camerinensis Dioecesis amplitudo.
II. Diminutio, & suppressio Ecclesiarum tempore barbarico.
III. Camerinum sine certo Pastore per saeculum unum & ultra.
IV. Sub Ducibus Spoletanis progressus & amplificatio Ecclesiae Camerinensis. §. I.

[1] Euseb. lib. VI. cap. 43.

(2) Hist. Eccl. Tom. III. Lib. VII. n. 59. 6. 163.

(3) Lege quid scribat Cl. Dominicus Pannellius in suo Commentario inscripto: *Memorie di S. Leopardo Vescovo di Osimo*, in dissertatione praeliminari pag. XV, & XVI. in notis n. 18, & 19.

Digitized by Google

§. I.

ASsignato Camerinenſi Dioeceſi circa medium III. ſaeculum ortu ſuo, ante quam illius progreſſum per Picenam Provinciam aſſignemus, juvat prius ambitum ſuae Dioeceſis, quando Camerino fuit primus peculiaris Epiſcopus aſſignatus, inveſtigare. Attamen, quum ab actis Concilii Sardicenſis intelligere poſſimus, in Eccleſia Dei tunc morem quemdam tam in Oriente, quam in Occidente irrepſiſſe, ut non tantum magnae Civitates, ſed & Pagi ipſi ſuos ſibi conſtituerint Epiſcopos: [tale fuit tunc, ut ego opinor, verae fidei ſervandae, & promovendae catholicorum ſtudium, ut vix repreſſis Infidelium perſecutionibus, certatim loca omnia ſuos ſibi ſelegerint peculiares Paſtores, qui jam in ipſis natam fidem tuerentur, & alerent], quorum multiplicitati Concilium accurrens decrevit, ut aequum erat, Oſio Epiſcopo proponente, & univerſo Concilio adprobante: *Licentia vero danda non eſt ordinandi Epiſcopum, aut in vico aliquo, aut in modica Civitate, cui ſufficit unus Presbyter: quia non eſt neceſſe, ibi Epiſcopum fieri, ne vileſcat nomen Epiſcopi, & auctoritas*: [1]; quis idcirco divinare poterit, quot Epiſcopi per loca Camerino proxima eſſent conſtituti; qui illius fines coarctarent ante illud Concilium, & ante etiam alia a R. Pontificibus Romae habita, in quibus idipſum firmatum fuit teſte Gratiano [2]?

Si vero ambitum hujus Dioeceſis perquiramus poſt diminutam illam Epiſcoporum multiplicitatem, ſi qua facta ſit circa Camerinum; facili negocio quaeſtionem ſolvemus. In Umbria Camerini Dioeceſis ad ejus Occidentem habebat *Dioeceſes Nucerinam*, & *Tadinam*. Ad ejus meridiem Viſium verſus finem ponebat cum *plebe Taurina* [vulgò *Pieve Torina*]: citra fluvium, qui Caſtrum illud abluit, quod ad Epiſcopum fortè ſpectabat *Nurſinum*, & poſtea tranſiit ad *Spoletanum* [3]. Si *Piſtiae* epiſcopalem ſedem velimus aſſignare, Camerinenſem dioeceſim *Piſtina* dioeceſis reſtringet. *Piſtiam* enim Lilius, illiuſque illuſtrator Camerinius figunt in plano Serravallis ad meridiem Camerini in eo loco ubi hodiedum veneratur quaedam aedicula vulgo appel-

(1) Concil. Sard. cap. 6.
(2) Diſt. 80.
(3) Xyſtus V. Tollentino; & San-Severino Epiſcopos dedit, Dioeceſemque illis aſſignavit; & ſic Dioeceſis noſtra immiuuta remanſit. Ad compenſandam tamen hanc diminutionem ſuis Apoſtolicis litteris dat. Romae die 5. Aug. 1587. tractum illum agri Ducatus Camerinenſes trans fluvium *Plebis-Taurinae*, qui Spoletanae Dioeceſis erat, noſtris Epiſcopis dedit. In illo agro XXXII. paroeciae continentur cum tribus Vicariis foraneis: nempe *Plebis-Taurinae* ad meridiem Camerini cum XVI. *Caſe-vecchiae* pariter ad meridiem cum IX. *Rocchettae* ad occaſum hiemalem cum VII. Sacerdotiis ibi conſtitutis,

Digitized by Google

pellata *la Madonna di Piſtia*: [1] Hoc oppidum recolit Plinius [2] in ſexta regione, ubi nominantur *Piſtini*. Intra Umbriae fines Dioeceſim Camerinenſem coarctabant ad ejus aeſtivum orientem *Septempeda*, & *Tolentinum*. Hinc ad aeſtivum occidentem Camerini *Matbilica*, quae fines ſuos protendebat ad Dioeceſim *Tadinatem*: quae Civitates in Piceno poſitae intra Umbriae finem Dioeceſim Camerinenſem undequaque reſtringebant. Patet ergo manifeſtè, qualis tunc fuerit noſtrae Dioeceſis amplitudo intra fines Umbriae conſtituta.

§. II.

OPpreſſo tandem ſenio occidentali Romano Imperio [quod incepit medium circa Seculum V.], faciem mutavit ſuam Italia. Barbaricae gentes, quae in Italiam irruerunt, igne, ferro, caedibus, Civitates, Epiſcopia, Templaque a fundamentis everterunt, Sacerdotia diſperdiderunt: quoque magis creſcebant barbaricae incurſiones, eo magis miſeriis cumulabantur Populi: donec Langobardi quammaxime truces ad extremam uſque deſolationem redegerunt Italicas Regiones, & populos. Interim vero peſtifera lues totam ferme Italiam cadaveribus replens, deſperatam ubique reliquit & Civitatum, & Epiſcopatuum reparationem. Quod in cauſſa fuit, cur S. Gregorius Magnus, dilabente ſeculo VI, quamplures Eccleſias Paſtoribus viduatas, & grege diſperſas vicinioribus Epiſcopis commendarit; quum pene omnes ad reſtaurandas res ſuas incapaces evaſerint.

Illas ergo Civitates, quae in *Conſularibus* viis erant conſtitutae, omnimodam a barbaris deſolationem ſuſtinuiſſe, animadvertimus. *Auximum* vero, *Anconam*, *Firmum*, *Camerinum*, *Cingulum* ſublimi, munitoque in loco conſtitutae Urbes; non fuerunt ſic disjectae, ut ſuorum Civium ſtudio cito non fuerint reparatae; & propterea vel nunquam, vel modico temporis ſpatio Epiſcopales illarum ſedes vacaverint. Neſcimus *autem* quo caſu *Cingalum* Cathedralem ſuam Eccleſiam non reparaverit, Epiſcopumque non reſtituerit. Gregorius vero harum praeſertim Civitatum Epiſcopis operae pretium duxit committere, & commendare populos vicinarum Dioeceſium Paſtoribus ſpoliatos; ut refloreſcentes in deſertis regionibus populi, ſubitam haberent ab Epiſcopo illis aſſignato ſpiritualem opem: quod manifeſte patet ex tot litteris S. Pontificis, quae hujuſmodi ſpiritualem ſollicitudinem loculentiſſime comprobant.

§. III.

(1) Lib. IX. P. I. in addit. P. Cameriinii.

(2) Plin. hiſt. nat. Lib. III. cap. XIII. edit. Parmae 1481.

Digitized by Google

§. III.

CAmerinum firmo, & munitiſſimo loco fundatum tam immanes forte non ſuſtinuit calamitates a barbaris; an ſine Paſtore remanſerit incertum eſt. Etenim poſt *Bonifacium* florentem initio VI. ſeculi ad *Glorioſam*, qui Camerinenſem regebat Eccleſiam medio circiter VII. ſeculo, nullam habemus Epiſcoporum certam memoriam.

Ne quis tamen putet, id eveniſſe defectu documentorum Camerinenſium. Si enim haec deficiunt, ſuperſunt tamen tot Conciliorum, & Synodorum acta per ea tempora Romae a Pontificibus habita, & a Labbeo fideliter relata, in quibus nullus Camerinenſis Epiſcopus praeſens, & obſignatus habetur. Alia igitur ratione id eveniſſe tenendum eſt. Coacti utique ſumus id referre miſerandis illis calamitatibus ſupra a nobis relatis, quae Italiam noſtram tamdiu diveexaverant. Gothicis videlicet incurſionibus tempore Alarici Regis, aliorumque barbarorum Regum, ſeu Ducum, qui Italiam Urbeſque ejus V. & VI. ſeculo iteratis vicibus miſerrime vaſtarunt, ut videre eſt apud Muratorium in ſuis Annalibus ad haec tempora: deinde ferali illa peſtilentia, quae labente Juſtiniani Imperio duobus ferme annis Italiam luctibus complevit; immaniſque depopulatio Langobardorum ſupra memorata, Italiae Civitates, & Regiones ita conſumpſit; ut hac ratione, Italia vaſtata, undique aſpectus ejus pulcher, & floridus horrorem induerit: undique imminutis camporum cultoribus, immanes trunci, vepreſque in immenſum excreverint, valles paludibus, colles ſylvis opertae remanſerint; unde fames, & quidem luctuoſa orta eſt.

Duobus his infortuniis preſſum infelix Picenum, barbaricis nempè vaſtationibus, & peſtifera lue, ea praeſertim in parte, quam Potentia, & Cluentus flumina abluunt, (1) in horrendam ſolitudinem redactum fuit. Illius Civitates, illae praecipue in conſularibus viis, vel ab ipſis non longe poſitae gladio, igne, direptione ſupremam ſubiere ruinam. Videmus propterea *Urbem-Salviam*, *Ricinam*, *Trejam*, *Septempedam*, aliaſque plures Civitates ita defeciſſe, ut de nonnnullis, vel ſitus ipſe, ubi erant conditae, occultus adhuc, incertuſque remaneat; quod non ita *Firmo*, *Anconae*, *Camerino*, *Auximo*, & *Cingulo* eveniſſe comperimus, ut ſupra dictum eſt, quamvis barbaras non effugerint vexationes. Potuerunt propterea Urbes illae tandem aliquando Cives ſuos revocare, diſperſamque plebem *infra ſua moenia reducere*. Unde factum eſt, ut Civitates iſtae, quae

[1] Lil. hiſt. di Cam. P. I. Lib. III. pag. 77.

Digitized by Google

non omnino vaſtatae fuerant Epiſcopium, ſi in illis erat antea conſtitutum, valuerint reparare, ſuoſque Paſtores tandem aliquando ſibi ſeligere; ſero tamen, & nonniſi plurium annorum lapſu: ad quid enim reſtituere Paſtorem, ſi grex erat peſtilentia, & fame deperditus?

Alia pariter ratione Civitates illae munito in loco conſtitutae non omnino, ſicut aliae defecerunt; ideoque Epiſcopales ſedes, vel nunquam amiſere; vel ad tempus reſtituere potuerunt. Quum enim barbarae gentes Imperium ſuum in Italia ſtatuiſſent; moras ſuas iis in locis figere ſelegerunt, in quibus tutius ſe tueri poſſent; idque non alibi melius, quam elevatis in collibus, ubi Civitates acceſſu difficiles erant conditae. Ibi barbari illi domibus, praediiſque illorum, qui peſtilentia, fame, aliiſque aerumnis perierant, forte potiti, ſedes fixerunt ſuas; paulatimque efferos mores deponentes Romani facti ſunt (ita enim Itali tunc nuncupabantur) & ex advenis evaſerunt Cives: matrimonia cum Romanis ad invicem contraxerunt; ſicque ruinas illarum Civitatum, quas incolebant, opportunè repararunt.

Id nobis propemodum innuunt barbarica illa nomina, quae Itali poſthac uſurpabant: quaeque legi poſſunt in Schedis ſeculo x. & xi. ſcriptis, & praeſertim in illa *Eudonis*, quam memoramus ſub ejuſdem *Eudonis* Epiſcopatu. Lilius (1) putat *Eudonem*, clerumque ſuum non Camerinenſes fuiſſe cives, ſed Burgundos. Ego vero Camerinenſes fuiſſe dijudico barbaricis nominibus ſignatos, quae ab avis, ataviſque ſuis barbaris haereditarunt. Seculo enim x. cur Civitas Camerini cenſenda eſt adeo Civibus deſtituta, ut ad Epiſcopum ſuum, clerumque conſtituendum coacta fuerit evocare gentes alienigenas, & praeſertim barbaras? Veroſimilius igitur eſt credere barbarica illa nomina Camerinenſes haereditaſſe ab avis ſuis, quam barbaras gentes ad civica munia, & praecipuè eccleſiaſtica obeunda illuc a Camerinenſibus fuiſſe accitas, niſi forte cum Lilio (2) opinari velimus Eccleſiaſtica munia Burgundiis fuiſſe tributa in vindictam Camertium.

Donec gentes illae etherodoxae fuerunt, amarunt potius Cathedrales Eccleſias *videre derelictas*, *quam Catholicis Epiſcopis reſtitutas*. Poſtquam vero ſub Agiulpho Langobardorum Rege, uxoris ejus Theodolindae precibus, & S. Gregorii Magni ſtudio, anno nempe 598, catholicam Fidem ſunt gentes illae amplexatae; tunc Epiſcopales Cathedrae, quae in illis Civitatibus jamdiu vacaverant, fuerunt illicò Paſtoribus reſtitutae. Id propemodum Camerino evenit. Quod ita verum eſt, ut S. Gregorius Magnus, qui, ſaeviente adhuc pe-

(1) Part. 1. Lib. v. pag. 161. (2) Lil. ubi ſupra pag. 161.

peſtilentia, & imperantibus Langobardis, Romanam ſedem tenebat; ſollicite iis regionibus, ubi peſtifera lues ſaevire ceſſaverat, Dioeceſium vaſtatarum curam vicinioribus Epiſcopis demandare non intermitteret, ut in tot ejus epiſtolis Apoſtolica ſollicitudine plenis aperte dignoſcitur. Nulla tamen epiſtola ad Camerinenſes Epiſcopos data reperitur, quibus alicujus Eccleſiae commendaverit ſpirituale regimen, & curam. Quod revera evidens argumentum eſt, illis in partibus & crudelius, diutiuſque peſtilentiam ſaeviiſſe, & barbaricas incurſiones prae coeteris ibi fuiſſe truciores. Anno igitur 506. Camerinum habuit ſuum Epiſcopum *Bonifacium* tempore Theodorici Gothorum Regis, qui ingentem Gothorum multitudinem duxit, & Firmum, agrumque Picenum, ut ſcribit Adamius, divaſtavit. Poſt *Bonifacium* perdidit Camerinum Epiſcopum ſuum ad annum forte 649, quo hanc Eccleſiam gubernabat *Glorioſus*.

§. IV.

QUia tamen Alboinus Rex anno 563. in univerſa Italia XXXVI. Duces, qui illam regerent, ut jam dictum eſt, inſtituit, ſuitque labente VI. ſeculo Ducatus Spoletanus in Umbria conſtitutus; (primus enim Spoleti Dux, cujus memoria habetur, fuit *Faroaldus*, ejuſque meminit Paulus Diaconus, (1) narratque Faroaldum exercitu Langobardorum comparato, in Claſſem irruiſſe, eaque opulenta Civitate potitum; unde probabile videtur, Spoletanum Ducatum iis temporibus etiam in Picenum ſeſe extendiſſe). Hinc factum eſt, ut ſicut Spoletum caput tam ſplendidi Ducatus fuit in Umbria conſtitutum in ſua praeſertim Tranſapennina parte; ſic Camerinum in parte ſua Ciſapennina ejuſdem Ducatus caput fuit, cujus fines ad Myſonis oram ſeſe protendebant, ut cl. Beretta aperte probat in ſua Diſſertatione. (2) Ideoque, ut primum Duces Spoletani Arianam haereſim abjurarunt, illico operam dederunt R. Pontifices, ut pene omnes Eccleſiae in Tranſapennina parte exiſtentes ſuis viduatae Paſtoribus Spoletano, *in Ciſapennina* vero citra Cluentum Camerinenſi Epiſcopo commendarentur.

Medio igitur VII. ſeculo ni prius, & per ſubſequentia tempora Romani Pontifices Picenae Provinciae Dioeceſes populo, & Paſtore viduatas Camerinenſi proximas Camerini Epiſcopo potuerunt commendare, & mirabiliter uſque ad ſinus Picenae Provinciae Camerinenſium Antiſtitum jura protendere. Hanc nos veram computamus

(1) De pop. Longob. Lib. III. Cap. XIII. (2) Diſſ. Chorograph. Ital. medii aevi Tom. X. rer. Ital.

Digitized by Google

aeram ampliationis Paroeciae Epiſcopalis Camerinenſis, circa videlicet VII. ſeculum, non illam, quae Leontii tempore fingitur circa medium III. ſeculum. Sub quo verò Epiſcopo haec Dioeceſis progreſſus habere coeperit neſcimus.

CAPUT IV.

De progreſſu Dioeceſis, ſive de dioeceſibus Camerinenſi Epiſcopo commendatis.

I. Dioeceſes, & Civitates Camerinenſi Epiſcopo commendatae in duas claſſes dividuntur, & ab illis Dioeceſis amplitudo argumentis eruitur.

II. Singulae Dioeceſes, & Civitates deſcribuntur hodiedum Camerinenſi Epiſcopo ſubjectae.

III. Recenſentur aliae in Dioeceſi Camerinenſi; an ab Epiſcopis gubernatae, incertum.

IV. Epiſcopi Camerinenſes jus forſan in nonnullis aliis habuerunt Civitatibus, & agris.

§. I.

IN duas claſſes dividimus Civitates inter Colonias Romanas ab antiquis Geographis recenſitas, & intra fines noſtrae Dioeceſis Epiſcopis Camerinenſibus commendatas. Alterae erant, quae Epiſcopali Sede certè erant inſignitae; alterae, in quibus, an Epiſcopus reſederit, nullis poteſt argumentis probari. Inter primas habemus *Septempedam*, *Tolentinum*, *Urbem-Salviam*, *Mathilicam*, & *Cingulum*. Inter alteras *Trejam*, *Tuſſicum*, *Attidium*, & *Sentinum*.

Eae Civitates, quae numero IX. ſunt, in Camerinenſi Dioeceſi continebantur, ejuſque Dioeceſis fines producebant ad *S. Salvatoris* Civitatis Maceratae ſuburbium, quod erat *Urbis-Salviae* Dioeceſeos [1] ad Orientem aeſtivum Camerini. Ad ejus occidentem aeſtivum pro-

[1] Ad Urbis-Salviae Dioeceſim agrum illum, ubi ſuburbium S. Salvatoris jacet, ſpectaſſe conjicimus nam inter Tollentinum, & Maceratam Urbs-Salvia jacet. Urbis-Salviae Dioeceſis confines habere potuit Dioeceſes *Tollentini*, *Paſulae*, & *Recinae*. *Paſulae* ſitus optime argumentatur ab erudito Pannellio in memoriis Sancti Leopardi cap. v. §. 1. part. 1. pag. 18. intra fines Montisluponis, & Montiſcauſarii vulgo *Montecoſaro*. *Paſulae* Dioeceſim tenuit Epiſcopus Firmanus; *Ricinenſem* Humanas, *Urbem-Salvienſem* Camerinenſis. Paſulanae Dioeceſeos altera facta eſt diviſio, erecto Epiſcopatu Lauretano, cui forte datum fuit oppidum Montisluponis ad Epiſcopum Paſulanum ſpectans.

Digitized by Google

progreditur hodiedum ad *Sentinum* fluvium citra pontem Saxiferrati in Umbria: trans vero pontem Nucerinus Epiſcopus dominatur. Ad auſtrum Camerini perveniebat ad *Staphylum*, quod Dioeceſis Camerinenſis erat, nunc Auximanae, & monumenta ad id probandum habemus [1]. Ad meridiem Camerini Dioeceſis finem habebat citra fluvium, qui abluit *Plebem Taurinam* Camerinum verſus, ut ſupra monuimus. Trans fluvium *Spoletana* Dioeceſis olim perveniebat.

Intra hos fines *Treja*, *Tufficum*, *Attidium*, & *Sentinum* ſita ſunt, quae in noſtra Dioeceſi continentur adhuc. An Epiſcopos habuerint, non liquet. Sicuti vero in Ducatu Spoletano continebantur, ut infra probabimus §. IV. ubi de Cupra-montana diſſerimus, *Cupramontana* prope Maſſatium a Sartio noſtro reperta & tuto firmata; aliaeque forſan duae Coloniae; *Planium*, ſeu *Plauinum*, quae forte confines erant cum agro Cuprenſi, & *Veregra*, cujus ager forte adhaerebat *Planienſi*, & terminabat cum Urbe-Salvienſi; ita pariter, at ſolis conjecturis, Camerinenſi Dioeceſi tractum illum agri Veregrani ad Planium, a Myſone ad Aeſium fluvium in Ducatu Spoletano contentum *poſſemus* argumentari aſſignatum. At de hoc nihil certi. Singulas nunc Dioeceſes, & Civitates Camerinenſi Epiſcopo ſubjectas deſcribamus.

§. II.

SEptempeda Epiſcopalis Paroecia proximae Camerinenſi Dioeceſi fuit poſt ejus vaſtationem commendata. Habuit Epiſcopum ſuum *S. Severinum*, alioſque, quorum nomina ignorantur: Diſtat Septempeda, locus nempe, ubi antiqua haec Civitas jacebat, VI. mill. paſſ. a Tolentino, X. a Camerino, totidem a Cingulo. De hac Civitate nonnulla obiter ſub Epiſcopatu Eudonis diſſeremus. Luculenter de ejus antiquitate in ſua erudita Diſſertatione de Septempedae antiquitate agit P. Bernardus Gentilius. Xyſtus V. *Sanſeverinum* Oppidum è Septempedae ruinis in vertice montis Nerii excitatum in Civitatem erexit anno 1587, novamque ibi Cathedram Epiſcopalem inſtituit, avulſa ejus Dioeceſi a Camerinenſi. Antiqui Septempedae Dioeceſeos fines fuerunt Dioeceſes *Camerinenſis*, *Tolentinas*, *Urbs-Salvienſis*, *Cingulana*, *Mathilicana*, & *Ager Trejenſis*.

At-

[1] Ab Apoſtolicis Urbani IV. litteris datis Romae anno 1379. quas habes in appendice, certi reddimur *San-ſeverinum*, *Pyrum*, *Staffolum*, *Domum*, *Caſtelletam Rotorſum*, *Ficanum* & *Montem Acutum* Caſtra fuiſſe tunc Camerinenſis Dioeceſeos. Idipſum patet ex diplomate Card. Antonii tit. SS. Quatuor Coronatorum expedito favore SS. Sacramenti Pyri anno 1533, & pro executione remiſſo: *Diſcreto Viro Plebano Eccleſiae de terra Staffuli Camerinen. Dioeceſi Vicario Foraneo Epiſcopi Camerinenſis*. Diploma vidi intec ſchedas illius Societatis.

Digitized by Google

Attamen antiquam Septempedae Dioeceſim in nova hac Epiſcopatus fundatione fuiſſe non modicè amplificatam manifeſta probatione intelligimus. Si enim novo San-Severini Epiſcopo ſola Dioeceſis antiquae Septempedae reſtituta fuiſſet, non utique poterant Epiſcopi San-Severinates ad Caſtrum *Ficani* (1) pervenire : diſtat enim Caſtrum hoc ad XII. mill. paſſ. a Septempeda ; ab Oppido Pyri III. mill. circiter paſſ. a Cingulo circiter VIII. Septempedae item Dioeceſeos fuiſſent Caſtra *S. Petri*, & *Ilciti* : item diruta *Caſavollae*, *Collis-putturae*, *Crini*, & *Civitellae Domini Vguccionii*, & *Inſulae S. Clementis*, & *Frontalis* cum aliis, quae juris erant Epiſcopi Camerinenſis, & vel inter colles, vel in radicibus Apennini montis ad auſtrum Camerini ſita. Non enim Septempedanus Epiſcopus per ea loca tam remota poterat extendere juriſdictionem ſuam. Antiquiſſimae ſiquidem Dioeceſes, antequam a barbaris eſſent everſae, erant anguſtiores ; ut ex ſingulis Dioeceſibus, quas hic damus Camerinenſi Cathedrae adauctas, facile comprobatur. Quomodo ergo ultra *Aliſurſi* Caſtrum, quod Septempedae Epiſcopo ultro concedimus, diſtans ab ea Civitate v. mill. circiter paſſ. Sanſeverinas Dioeceſis ad illa Caſtra uſque ad Caſtrum, agrumque *Ficani*, quod ultimum ſuae Dioeceſeos eſt, pervenit. Alia ſane ratione id evenire non potuit, niſi quia nova Sanſeverinas Dioeceſis fuit conſtituta in tota temporali juriſdictione Populi Sanſeverinatis, qui aere communi emerat a Gente Rovellonia ſeculo XIII. in illis partibus clara, caſtra *Inſulae* S. Clementis, & *Frontalis* ; a Monachis Vallisfocinae *Caſtrum Ilciti*, & reliqua Caſtra partim Apoſtolica conceſſione, partim alio modo adeptus erat : eadem plane ratione, qua Dioeceſis Fabrianenſis protenditur ad Caſtrum *Domi* a Pyro III. mill. paſſ. diſtans ad Occidentem, & olim in agro Pyrano, & ſub jure Populi Pyrani ſitum ; quia conſtituto vix illo novo Caſtro a magna ibi domo conſtructa *Domo* nuncupato, ſuoque ſibi territorio comparato, gens Clavellia, quae Fabriani dominabatur

(1) Antiquiſſimum hoc Caſtrum ſitum erat in agro Pyrano ; in eoque dominabatur una cum Vanna, ſeu Joanna ſorore ſua Catharina Maſii San-Severinas uxor Conradi Rainuctii Bulgarutti Mathilicae olim domini. Vendidit Catharina Caſtrum Smedutio Nutii (de quo ſub Pandulphi Epiſcopatu) anno 1348, duobus ſcilicet annis poſtquam Smedutius inter Pyranos cives cooptatus eſt. Charta hujus venditionis ſervatur in archivo Communis San-Severini in libro inſcripto : *Regiſtro di diverſi brevi pag.* 45. Bartholomaeus Caſtrum vendidit Boldrino de Panicalis pretio decem millia ſcutatorum auri una cum aliis bonis in Pyrano agro jacentibus. Boldrinus per dolum fuit Maceratae trucidatus. Caſtrum cum aliis bonis rediit ad Smedutios, neſcimus quomodo. Smedutii nepotes illud tenuerunt ad annum 1407. ſub Innocentio VII. Tandem, ab omni dominatione ſub Martino V. Smedutiis expulſis, ab Eugenio IV. Caſtrum Ficani, caeteraque illorum jura & bona Sanſeverinatae genti donata ſunt. At de hoc alias.

Digitized by Google

tur, ſeſe in poſſeſſionem Caſtri Domi immiſit. Unde factum eſt, ut, Clavellia gente Principatu Fabriani ſpoliata, Caſtrum *Domi* in agro Fabrianenſi remanſerit, & Fabriani Epiſcopatu conſtituto, idem Caſtrum in Dioeceſim Fabrianenſem tranſierit: quod fatius in meis antiquitatibus Vallis S. Clementis expendo.

Quis tamen Epiſcopus ante ſeculum VII. totam *Vallem S. Clementis* percelebrem in noſtris partibus medio aevo, ubi ſingula enunciata Caſtra ſita ſunt, ſpiritualiter regerit, reſtat videndum. Vallis haec habuit proximam Dioeceſim, *Cingulanam*, & forte *Cupranſem montanam*; quando revera ex antiquis Romanorum Coloniis (ſi inter has Cupram montanam adſcribere velimus) unicuique ſuus dari debeat Epiſcopus. A *Pyro*, quod Vallis olim erat Caput, ad Cingulum recta linea 4500. paſſ. vix intercedunt: totidem, ni forte *plures* ad S. Eleuterii Plebem Maſſatienſem, ubi Cupra montana ſita erat: quicquid dictitent quidam blaterones contra Sartium noſtrum, qui Cupram montanae locum primus detexit. Pyrum ſub Epiſcopo Camerinenſi reſtat adhuc, ſicut aliqua pars antiquae Cingulanae Dioeceſeos. *Cupranſis montanae* Epiſcopalis Paroecia (ſi tali honore inſignitum oppidum fuit) Epiſcopatui Aeſino conjuncta fuit. Aequa igitur ratione cederem Antiſtiti antiquae Cingulanae Dioeceſeos jura Vallis S. Clementis a *Caſtro S. Petri* uſque ad Caſtrum *Rodoſſae* hodie *Rotorſium*, quod Stellutae gentis apud Fabrianenſes illuſtris Caſtellum eſt: reliquum agri tractum a Rotorſio ad oram Aeſis fluvii Cupranſi montanae Dioeceſi donarem excepto Caſtro *Domi*, quod ortum habuit ſub initio XIII. ſeculi. Ne forte aliquis ignotus uſque modo locus in Valle S. Clementis olim fuiſſet cum ſuo Epiſcopo, qui conſtitutam ibi Dioeceſim haberet ab Aeſi fluvio, & Monaſterio S. Elenae, in quo, & in tota Valle jura exercebant ſua Comites prius Vallis *S. Clementis*, ut luculenter probamus Lib. II. cap. I. in ſerie noſtrorum Antiſtitum; & poſt *Comites* medio circ. XIII. ſaeculo ſuffecti fuerunt *Vicarii imperiales* ejuſdem Vallis S. Clementis, uſque ad *Caſtrum S. Petri* terminum Vallis. (1) Epiſcopus enim ibi conſtitutus extenſam habuiſſet Dioeceſim ſuam ultra XII. ad minus mill. paſſ. XXIII. Caſtris (2) undequaque refer-

[1] Sartius Epiſtol. Cupren. in app. docum. n. IV. pag. 95.

[2] Ad illuſtrandam Vallis S. Clementis chorographicam chartam placet hic recolere ſingula Caſtra, quae in illa continentur. *Pyrum* dictum etiam in antiquis ſchedis *Lapirum*, *Laperum*, *Papirum* (vulgo *apiro* nuncupatum) jacet in medio Vallis; eratque olim regionis caput. Ante XII. ſeculum jacebat Pyrum non in Valle, ſed in Colle, ad cujus radices novum aſſurgit Caſtrum. De antiquo Caſtro nil aliud praeter rudera habemus. In eo ante XIII. ſeculum dominabatur Andreas de Montecle, qui civis novi Pyri una cum uxore ſua factus eſt anno 1227, poſtquam homines novi Pyri antiquum deſtruxerunt. Patet ex charta, quam in appendice producimus ad illum an-

fertum. Sed hoc viderint alii; tenebris enim nimiae antiquitatis obvolvimur.

To-

annum. Habet Pyrum ad Orientem Cingulum, ad Occidentem Fabrianum, ad Meridiem San-Severinum, ad Auſtrum Aeſum. His praelibatis ad Caſtra in Valle S. Clementis ſparſa ſermonem vertamus; incipiendo ab Orientali plaga, quae reſpicit Cingulum a Pyro IV. mill. & 500. paſſ. diſſitum.

In hac parte jacebant Caſtra *Inſula orgalis, Civitella*, & *Caſtreccionum*, & *Caſtrum S. Angeli* hodiedum in Camerinenſi Dioeceſi, & in agro Cingulano poſita. *Inſula Orgalis & Civitella* vaſtata ſunt. *Caſtreccionum* & *Caſtrum S. Angeli* vix ſuperſunt, & pene diruta in dies deficiunt.

Inſulae Orgalis domini fuerunt Atto, & Thomas filii Alberti Comitis, qui anno 1212. ſe fecerunt Caſtellanos Cinguli; & anno 1216. *die Mercurii* VIII. *pie exeunte menſi Auguſti tempore D. Onorii PP.* ſe ſubmiſerunt communi Pyri, & Caſtellanos ſe fecerunt illius Caſtri. Promiſit namque *Atto nomine Thomae fratris ſui una cum Orana uxore ſua, & ſua cognata Viola domno Johanni prepoſito S. Nicolai Conſulo Piri guardare & ſalvare Caſtrum Pyri & accreſcere, & amplificare ejus Curia & ſenaitas & perſonas & res dicte univerſitatis &c. & facere guerram & pacem &c. & incaſtellare & non excaſtellare bona fide &c.* & tandem idem Atto ceſſit communi Pyri *omne jus omnemque actionem in montaneis Montis Alvelli* Montes iſti (dicerem potius Colles) pene ad auſtrum ſunt Pyri, & ſupra ipſum Oppidum. Domnus vero Johannes Conſul promiſit Attoni ejuſque fratri Thomae, & Oranae, & Violae praedictis *cuſtodire, & ſalvare illorum perſonas & res, & quod illorum erit in Caſtro Piri & omnes illorum raciones pro poſſe & omnes bonas uſancias* (hoc anno 1216. commune Pyri ſtatuta ſua nondum condiderat) *nobis conſervare* (ſic habet ſcheda) *ajuvare & manutenere cum nobis, & ſine nobis &c. eo quia miſiſti nos in tenutam & poſſeſſionem domi olim Traſmundi patris predicte Orane, & Viole ſita in Caſtro Piri &c. de omni jure & actione quod habuit Traſmundus in dicto Caſtro tempore mortis dicti Traſmundi in dicto Caſtro &c.* Hinc aperte patet Traſmundum nobilem fuiſſe Pyri civem. Alienigenae enim vi legum municipalium, quae ſuperſunt adhuc, nil in Caſtro, ejuſque agro poterant poſſidere.

Idem Traſmundus fuit *Caſtreccioni* dominus; Pater Gualterii, Offi, & Gozonis, necnon Oranae, & Violae; ex Comitibus Montis Campanari, quod fuit Caſtrum inter Fanum, & Piſaurum ſitum. (Ammian. iſt. di Fano Tomo I. pag. 214. & 290.) *Caſtreccionum* anno 1239. die ultima Junii venditum fuit a Gottribaldo filio quondam Domini Thomae Dom. Biſazonis de Monte-Campanario domno Jacobo rectori hoſpitalis Spineti de Cingulo nomine & vice dominae Catharinae Abbatiſſae ejuſdem loci. Illud Caſtrum tranſierat ad dictum *Gottibaldum* jure emptionis. An iſte *Gottibaldus* fuit Auximi Poteſtas anno 1207. quem Martorellius cenſet fuiſſe *Gottibaldum* illum Piceni Marchionem? (Hiſt. d'Oſimo pag. 435.) Tandem Moniales Caſtrum vendiderunt Communi Cinguli anno 1269. ex ſchedis ejuſdem Monaſterii.

De Caſtro *Civitellae* ſermonem facimus in ſerie. Indicem conſule: Nihil pariter proferimus de Caſtro *S. Angeli*. Hoc & alia Caſtra in agro Cingulano ſita illuſtrabit Raphaellius noſter.

Proſequentes iter ad Auſtrum habemus Caſtrum *Fajetae*. Memoratur in inſtrumento venditionis *Caſtreccioni* confecto anno 1239. quo patet ad haec uſque tempora Caſtrum illud non fuiſſe dirutum. De illo pariter in ſerie ſermo recurret.

A Caſtro *Fajetae* progredimur ad Caſtrum *S. Urbani* ad Occidentem aeſtivum Pyri. Super hoc in eminenti colle jacet *Rotorſum*, quod ad ſuum Occidentem habet *Rovellonum*, *Caſtellettam*, *Avulterem*, & *Cryptam*. In iis dominabantur ſeculo XIII. Conradus, & Gentilis de Rovellono aliique hujus nobilis familiae. Praeter *Caſtellettam*, quod a Pyro abeſt

VII.

Digitized by Google

Tolentinum Civitas eſt ex antiquis Piceni Camerinenſi Eccleſiae data. Colonia fuit Romanorum. Ejus antiquitatem, & ſplendorem lapidariae inſcriptiones teſtantur apud illarum collectores. A Septempeda diſtabat VI. mill. paſſ. juxta Joſephum Bingamum (1) cl. Scriptorem Originum chriſtianarum. *Baſilius* Tolentinas recit in Concilio Romano ſub Symmacho. Vaſtata a barbaris Civitate perdidit Cathedram, quam Xyſtus V. iterum dedit ſeculo XVI, & Concathedralem eſſe voluit cum Maceratenſi Eccleſia. Antiqua Tolentini Dioeceſis terminos forte habuit cum *Camerinenſi*, *Urbe-Salvienſi*, & *Septempedana*; & *Agro Trejenſi*.

Urbis-Salvienſis Eccleſia fuit Camerino adjuncta quo tempore incertum eſt. E nobilioribus Piceni Civitatibus fuit *Urbs-Salvia*. (2) Teſtantur idipſum quamplures lapidariae inſcriptiones, quae paſſim apud Collectores leguntur, & in dies effodiuntur. A Tolentino, juxta Ferrarium, decem, juxta Baudrandum ſex mill. paſſ. diſtat, ut animadvertit laudatus Bingamus. (3) Habuit & haec Antiſtites ſuos. *Lampadius* ſe obſignavit Concilio Romano primo ſub Symmacho. Ibi habetur *Lampadius Urbis Albienſis* corrupte: lege *Salvienſis*, vel *Salbienſis*, ut animadvertit Labbeus. [4] Barbarorum incurſu, aliiſque infortuniis fuit ſolo aequata. Superſunt adhuc reliquiae ejus ſplendidi Amphiteatri. Perdidit tunc jura Epiſcopatus, & Civitatis inſignia. Jacet haud procul a Cluento fluvio. Confines habere potuit ſuae Dioeceſeos *Firmi*, *Recinae*, & *Tolentini* Dioeceſes. Modo Urbis-Salvienſis Dioeceſis Maceratenſis Epiſcopatus eſt potior pars.

Mathilica Camerinenſium Epiſcoporum *curae* commiſſa fuit; antiqua Romanorum Colonia IX. mill. paſſ. a Septempeda diſtat juxta laudatum Bingamum (5) Cluverius (6) Mathilicae ſitum figit ſupra Aeſium fluvium in radicibus Apennini. Extant antiqui lapides apud

VII. cir. mill. paſſ. reliqua Caſtra corruerunt. *Caſtelletta* ad ſuum meridiem habet Caſtrum *Pr cicle* (vulgo *Procicchie*) cujus dominus Bernabeus Civis Pyranus factus eſt anno 1227. Jacet ad Occidentem Pyri, a quo VI. mill. paſſ. cir. abeſt. Habet Caſtrum *Procicle* ad ſuum Orientem aeſtivum *Montem ferratum*, & *Civitellam domini Uguiccionis* ſupra Vallem-Caſtri; quae in Annalibus Camaldulenſibus memorantur. Ad Occidentem hiemalem Pyri jacet *Ficanum*, & *Caſavolla*, Caſtrum hoc omnino diſjectum. Caſtra *Frontalis*, *Collis puſturae*, quod pariter ſolo aequatum eſt, *Inſulae S. Clementis*, & *Caſtrum S. Petri* habent Pyrum ad Meridiem. Denique ad Orientem aeſtivum habet Caſtrum *Maſciſi* in agro Cingulano, quod illuſtrabit amiciſſimus Raphaellius. Caſtra ſupra relata, quae hic illuſtrare omiſimus, alibi in hoc opere illuſtrata reperies, ſi Indicem conſules.

(1) Lib. IX. cap. V. Vol. II. pag. 119. Origin. Chriſtian.

(2) Cellar. Geograph. antiq. Lib. II. cap. IX. ſect. II. n. 180.

(3) Lib. IX. ut ſupra.

(4) Collect. Concil. Tom. V. ad ann. 494.

(5) Lib. IX. ut ſup.

(6) Ubi ſup. lib. II. cap. VI.

Digitized by Google

Collectores. A Berengario II. anno 949. igne consumpta fuit cum aliis multis Piceni Oppidis, & Exarcatus Civitatibus, teste Luitprando [1] & tunc amisit Civitatis, & Episcopatus insignia: Ornamenta suis Apostolicis litteris [2] datis Romae sub annulo Piscatoris anno 1753. insigni Oppido munifice restituit. Mathilicanae Dioeceſis confines fuerunt Dioeceſes *Septempedana*, *Tuſſicana*, *Attidias*, & *Camerinenſis*.

Cingulanae Dioeceſeos aliqua pars Camerinenſi addicta fuit: poſtea cum Auximate diviſa: Quomodo vero inter Epiſcopum Camerinenſem, & Auximanum facta ſit hujuſmodi diviſio, haud facile intelligimus: niſi forte id evenerit juxta ſenſum cl. Raphaellii ad doctiſſimum Lamium in ſuis litteris in ephemeride Florentina relatis: [3] quia videlicet, quum in agro Cingulano miſerandis illis temporibus dominarentur duo Principes ad invicem infenſiſſimi hoſtes, Langobardi videlicet, qui anno 568. ſedes ſuas in Italia figentes in illis partibus Spoletanum ſtatuerunt Ducatum, in quo Cingulum, & non modica Piceni pars continebatur; trans vero Myſonis fluvium Auximi praeſertim, & in proximis oppidis contra Langobardos ſeſe munierant Orientalium Imperatorum miniſtri: hinc factum eſſe autumat vir ille ſolertiſſimus, ut Langobardi Cingulum, prae coeteris munitione, & ſitu tutiſſimum, illico reſtaurarent; & ad inſtar munitiſſimi Caſtri Oppidum conſtituendum curarent; poſthac inter ea loca adnumerandum, quae huic ciſapenninae parti Ducatus Spoletani *Provinciae Caſtellorum* nomen dederunt, ſub cujus vocabulo ab Anonimo Geographo Ravennate, ſeculo forſan IX, pars iſta deſcripta eſt. Spoletanus ſane Ducatus uſque ad Myſonis oram, ſeſe protendebat ad ſenſum Anonimi Mediolanenſis: ideoque luctuoſis illis temporibus, quando & ob peſtiferam luem anno 565, & ob barbaricas Langobardorum incurſiones anno 568. pleraeque Piceni Civitates, vel omnino attritae ſunt, vel ſaltem habitatoribus diminutae; Cingulana Civitas, & potior ſui agri pars uſque ad Myſonis flumen Camerinenſem potius, quam Auximanum ſuum adamaverit habere Paſtorem. Non enim probabile videtur, Langobardos paſtos fuiſſe Epiſcopum Auximi, Civitatis nempe in Pentapoli conſtitutae, & Orientalibus Imperatoribus ſubjectae jura exercentem ſua in Civitate Cingulana, quam ipſi ſibi ſelegerant tutiſſimum propugnaculum in parte Spoletani Ducatus: quum inter illas gentes atrox, & vix unquam intermiſſum bellum, & hoſtilitas fere ſemper arderet.

[1] Ep. Tic. lib. 2. cap. IX.

[2] Apoſtolicae Benedicti litterae habent: *Quod Matbilica &c.*

[3] Tom. XIII. a num. 31. ad 39. anni 1751. in Commentario: *Dell'antica Cingoli.*

Digitized by Google

ret. Postquam vero labente seculo VIII. populi Pentapoleos ultro se dederunt R. Pontificis imperio; tunc evenire forte potuit, ut Auximates Praesules paulatim jura sua amplificarent Cingulum versus: donec Cingulum ipsum, quod Auximo proximum erat, Episcopis Auximi se libentissime subjecerit. Et forte Cingulum maluit se subdere Auximati Antistiti; diutius enim etiam temporali jure R. Pontificis subdita Civitas Auximana fuit, quam Camerinensis; haec enim seculo tantum XVI. Rom. Ecclesiae omnino se mancipavit. At de his nihil certi se proferre testatur eruditissimus Scriptor, solisque conjecturis, solidis quidem rationibus vallatis, haec, & alia profert.

Camerinensis Praesul non tantum ea loca, & Templa Camerinum versus tenet, quae temporali jure in agro Cingulano sunt posita; nempe Castrum *S. Angeli*, & *Castregonis* (vulgo *Castraccione*) nec non diruta Castra *Insulae Orgalis*, *Civitellae*, & *Muscosi* cum aliis villis; verum supergreditur etiam montes, & fere prope moenia Civitatis Cinguli pervenit. Tenuit etiam sub jure suo Ecclesiam *S. Sergii* (1) quae III. mill. circiter pass. a Cingulo abest, in via, qua Cingulo Maceratam pergitur in villa *Avenale* nuncupata, cujus potior pars fuit jam Dioeceseos Camerinensis, & modo spectat ad restitutum Episcopum Cingulanum. Illius Ecclesiae jura, quum diu Auximati Episcopo, cujus curae Cingulum, & potior Dioecesis pars commendata fuit, oppugnata a Camerini Episcopo fuissent, tandem permutatione jurium alterius Ecclesiae inter montes Camerinum versus in Agro Cingulano fuit lis composita. Forte *S. Sergii* Ecclesia, & Pagi *Avenale* dicti aliqualis pars in Dioecesi Trajensi illis proxima sita erant. In montibus inter agrum Cingulanum, & Montecchianum antiquis temporibus fundatum reperiebatur Monasterium Monialium, quae a Castro, *Monte acuto* vocato, Moniales *Montis acuti* dictae sunt (2) in Dioecesi pariter Camerinensi. In quibusdam

(1) Hanc Ecclesiam in agro Montechii sitam fuisse contenderunt Montecchiani cum Cingulanis anno 1450. Unus ex articulis a Montecchianis datus ad sua jura probanda est = Sanctus Sergius, cujus Ecclesia posita est in territorio Monticuli, fuit oriundus de quadam ipsorum villa quae dicitur *Valcampana*: ob eorum devotionem portarunt, & portant ad dictam Ecclesiam coppos pro recoperiendo dictam Ecclesiam S. Sergii &c. Item praedicti homines de Monticulo pro continuis beneficiis a dicto S. Sergio latantes quolibet Kal. die Maji consueverunt portare, & portari, & portant & portarunt frondes, & flores & arborem, qui dicitur *el maggio*; & quolibet anno post Kal. mensis Nov. solent ire ad dictam Ecclesiam, & ibi collationem facere maxima cum suilla seu porchetta, ut in suo territorio &c. Sed omissis hujusmodi ineptiis, certe Ecclesia S. Sergii ad Abbatiam Vallisfocinae, de qua in serie Episcoporum, una cum adnexis campis spectat.

(2) Hodie Monasterium istud *Spedaletto* nuncupatur. Templum est pene collapsum, cujus restauratio est utique optanda ob peculiarem gentium pietatem praesertim erga antiquissimam Beatissimae Virginis Mariae

Digitized by Google

Montecchianis ſchedis ad annum 1457. legitur. *Monaſterium, ſive hoſpitale montis Acuti;* Et ſeculo praecedenti, anno nempe 1330, habetur quoddam teſtamentum, in quo legatum legimus ſingulis Monialibus factum Monaſterii *Montis Acuti*. Habentur haec documenta in ſecreto Archivo Priorali Montecchii. Habetur etiam in antiquis ſtatutis Cingulì anno 1325. editis (lib. 1. Rub. IV. de eleemoſynis): *Quod dentur de bonis communis ..... denariorum Ravenne .... Eccleſie Monaſterii Montis Acuti quatuor libras*. Prope hunc locum cryptae illae vere horrentes, & opacae patent, in quibus aliquandiu eximia Virgo S. Sperandea Eugubina latuit, & ſua ſtatione noſtram Dioeceſim illuſtravit. Specus, ubi Doemonum larvis tandiu fuit Sperandea vexata, vocabatur *Citona*, hodie: *Le Grotte di S. Sperandia*. Legendum, quod in Virginis vita ſcripſit Titus Franceſchinus.

Cingulum fuit Romanorum Colonia, quod oppidum S. Labienus conſtituerat, ſuaque pecunia exaedificaverat, ut narrat Caeſar: (1) ſuos habuit Epiſcopos ante incurſiones, quas a barbaris ſuſtinuit; quamvis non ita ferales. Seculo v. circa finem floruerunt Epiſcopi Cingulani *Theodoſius*, & *S. Exuperantius* Civitatis Patronus, cui forte ſucceſſit *B. Formarius*, & huic anno circ. 530. *Julianus* Vigilii PP. laborum, & itinerum comes. Vacavit deinde Cathedra ad annum 1725, quo Cingulo fuit Epiſcopus reſtitutus, & Eccleſia Plebis S. Mariae de Cingulo tunc inſignis Collegiata Concathedralis aeque principalis, cum Auximate declarata. De hoc ſatis. Habet enim eximium ſui Scriptorem Raphaellium noſtrum, qui antiquum Cingulanum Agrum, & Eccleſiae ſtatum eruditiſſime illuſtrat.

§. III.

PRoductis Civitatibus Camerinenſi Dioeceſi conjunctis certo certius Epiſcopali ſede illuſtribus; ad illa tranſeamus Oppida recenſenda, quibus, quamvis celebres fuerint Romanorum Coloniae, Epiſcopos tamen concedere tuto non poſſumus, quia documentis ſumus deſtituti ad id comprobandum; & ſunt *Treja*, *Tuſſicum*, *Attidium*, & *Sentinum*. Attamen quum dubium non ſit (verba uſurpo doctiſſimi Ab. Sartii [2] de Tuffico nonnulla differentis) *quin plures Civitates Cathedra olim Epiſcopali ornatae fuerint, quarum nulla nunc memoria extat, earum monumentis deperditis*: & in eo numero eru-

riet imaginem ſummo in honore ſemper habitam. Monaſterium iſtud erat duplex, in quo ſtatres degebant, qui Viros, moniales, quae mulieres in hoſpitali curabant.

(1) Bell. Civil. lib. 1. cap. XV.

(2) Diſſ. praelim. de Civit. & Eccl. Eugub, cap. VI. num. IV.

Digitized by Google

eruditiſſimus Scriptor Tufficum cenſet: ego a laudatis Oppidis ea tantum ratione Epiſcopos adimo, quia de illis nulla apud nos memoria relicta eſt: Coeterum, ſi antiquos Canones, ſi antiquam Eccleſiae diſciplinam prae oculis habeamus, Epiſcopos tam in Orientalibus, quam in Occiduis regionibus adeo frequentes fuiſſe compertum eſt, ut non ſolum Civitates, & Caſtella, ſed & Pagi ipſi ſuos jactent Epiſcopos, ut bene diſſerit in celebri diſſertatione de Eccleſia Setina cl. Praeſul Dominicus Georgius: [1] & propterea tot Concilia, & praeſertim Sardicenſe jure, & merito tam corruptum morem damnarunt, ut ſupra dictum eſt. [2] Quamvis vero mos ille tam ſolemniter fuerit ab Eccleſia reprobatus, pullulare iterum coepit temporibus praeſertim Caroli M., qui propterea anno 789. in ſuis capitularibus [3] antiquum Sardicenſem Canonem innovavit, ut penitus morem illum ab Eccleſia eliminaret. Si ergo priſcis temporibus Pagis, & Caſtellis Epiſcopalem ſedem tuto negare non poſſumus; immo vero fas eſt in illis Epiſcopos rationabiliter conjicere, qua fortiori ratione poſſumus nos Epiſcopos conſignare antiquis Romanorum Coloniis, quae & Civium nobilitate, & populi frequentia Civitates erant tam illuſtres? Neque vero argumentum illud negativum: Epiſcoporum, *Tuffici*, *Trejae*, *Attidii*, & *Sentini* nulla eſt memoria; ergo hae Civitates ſuos non habuerunt Epiſcopos; tanti ponderis eſt, ut ab illis Civitatibus Epiſcopos omnino tollat: nam ſi tanti roboris eſſet argumentum hoc, poſſemus etiam argumentari: *Senogallia*, *Fanum*, aliaeque permultae Civitates ante VIII. ſeculum nullum praeſuerunt Epiſcopum; ergo ante VIII. ſeculum Epiſcopalis ſedes in illis non erat conſtituta: quod utique ſummum dementiae eſſet aſſerere. Ideoque rationabile videtur conjicere ſupra laudatas Colonias Cathedra Epiſcopali ornatas, ſuas habuiſſe Dioeceſes. Solidis hiſce, & rationabilibus conjecturis, *Trejae*, *Tuffico*, *Attidio*, & *Sentino* Epiſcopis aſſignatis, ad ea loca deſcribenda progrediamur.

Trejenſis Eccleſia commiſſa fuit Camerinenſi Epiſcopo. *Treja* ex antiquis Romanorum Coloniis inter Auximum, & Septempedam ſita eſt, ut ſcribunt Cluverius, & Cellarius. Clarius tamen Holſtenius *Trejae* ſitum deſcribit ad ſiniſtram ripam Potentiae amnis VIII. vel IX. mill. paſſ. a San-ſeverino. Ejus apparent veſtigia, ibi praeſertim, ubi nunc ſitum eſt Coenobium, quod Fratres Min. Obſervantes Reformati nuncupati incolunt: in cujus clauſtro nonnullae antiquae inſcriptiones parietibus affixae, & a Collectoribus vulgatae leguntur cum aliis dirutae Civitatis non obſcuris monumentis. Suſtinuit a barba-

[1] Pag. 6. c. 4. & ſeqq.
[2] Cap. III. §. 1.
[3] Tom. I. pag. 220. n. XIX. edit. Baluzii.

baris extremam ruinam, qua defecerunt Episcopi. In agro Montecchiano pingues habet fundos mensa Episcopalis Camerini, illorumque possessio non a mensa Episcopatus Trejensis, ut nonnulli conjiciunt provenit, sed a permutatione pinguis latifundii vulgo dicti: *Il piano della Madalena*: in agro castri Jovis sito, aliorumque annexorum mensae Episcopalis stabilium bonorum facta ab Aemilio de Alteriis Episcopo nostro, qui postea fuit Clemens X. P. M. cum aliis Angeli Giorii Patritii Camertis latifundiis in agro Montecchiano ab hoc possessis, & acquisitis: idque patet ab instrumento Camerini confecto die 2. Maji anni 1630. per acta Ser Bernardini Lilii Episcopi Cancellarii. Pinguem pariter in hoc agro censum habet Seminarium Clericorum Camerini, & ea ratione aliquot juvenes Trejenses, nunc *Montecchiani*, ibi gratis aluntur. Lege, quae sub Episcopo Aemilio scribimus in serie Episcoporum.

Templum illud, quod hodie Fratres Min. Reformati possident, Trejensem Ecclesiam Cathedralem Virgini sacram fuisse, fama est; nunc ab imagine Reparatoris nostri crucifixi [1] miraculis celeberrima nomen habet, illique Gens Montecchiana circa XVI. seculum restauratam dicavit Ecclesiam. Patet ex lapideis inscriptionibus Ecclesiae januis appositis: *Trejensis Patria summo Deo crucifixo restauratam dicavit*.

Dispersi Trejenses oppidum condiderunt in vicino monte ad suum Orientem, quod hodie *Montecchium* nuncupatur. Quod a Trejae

[1] Crescente in dies erga sacratissimam imaginem religione, & cultu, miraculis ibi a Deo patratis subolescentibus, quum nullus esset Sacerdos, Templi custodiae addictus, qui oblationes, & vota fidelium undequaque affluentium exciperet, & eo, quo par erat, studio sanctam illam imaginem curaret, communibus suffragiis anno 1519. vocati sunt Fratres Congregationis Fesulanae S. Hieronymi, qui diu, & pientissime Templum custodientes, venerationem erga SS. Crucifixum foverunt; ut concurrentibus illuc Viris dignitate, nobilitate, & sanctimonia insignibus, Principibusque Foeminis, difficile dictu est, quantum & SS. Crucifixi cultus per Picenam, finitimasque Provincias fuerit amplificatus, quantaque gentium multitudo voti causa ad Templum illud concurrisse visa sit. Templi parietes delatis votis etiam pretiosis onusti, a fidelibus appensis non semel expoliati sunt. Summa pietate Templum custodierunt Fratres Fesulani ad annum 1668, quo, (a Clemente IX Congregatione illa suppressa) transit ad Fratres Min. Reformatos, curantibus Montecchianis, ut sub Jacobi Episcopatu disseremus. Ubi, quando, & a quo Crucifixi imago fuerit elaborata, incerta res est; sane opus antiquissimum & Venerabile. Imaginis altitudo a fronte ad pedes est altitudinis palm. Rom. 9. sic integra, ita vivis, spirantibusque pietatem coloribus picta, ut opus ferme novum esse videatur; quum revera, ni mea me fallit opinio, ea ab ipsis Trejensibus venerata fuisse putanda est; & forte in sua Cathedrali Ecclesia; quo cadente XV. seculo, vel sub initio XVI. post templi restaurationem fuit reportata ab Ecclesia, ut perhibent, S. Hieronymi prope moenia Montecchii, ubi, durante forsan barbarica incursione, fuit abscondita. & custodita. At de hoc nil certi nobis relictum est.

Digitized by Google

jae ruinis ortum habuerit hoc insigne oppidum, nomen ipsum *Montecchio* aperte demonstrat. Antiquis enim tabulis Montecchium passim Montecle nuncupatur. Et quis non videt a *Monte Trejae* prius *Mons-trejae* dictum, mox corruptè *Montecle*, & demum *Montecchium*? Xystus Magnus hujus nominis V. R. Pontifex ad augendum Picenae Provinciae splendorem, sicuti Tolentinum, & Sanctoseverinum Civitatis titulo, & Cathedrae Episcopalis honore illustravit, sic Montecchium ornare cogitavit, & Trejensem Ecclesiam, sicuti Sanseverino Septempedanam, Montecchio restituere. Patet ex actis conciliaribus ad annum 1538. die 2. Novembris, quod Civium dissidiis mansit infectum. Et revera Montecchium oppidum est excellentia Civium, ecclesiasticis dignitatibus, litteris, armis insignium, populi multitudine, Cleri frequentia, Ecclesiarum, sacrarumque familiarum numero ad haec usque tempora inter coetera Piceni Oppida adeo illustre, ut in suis Apostolicis litteris Dat. Romae anno.... quart. Nonas Nov. Clemens XII. Civitatis titulo illud illustrare voluerit sic: *Oppidum Monticuli Civitas nuncupatum*. Trejensis Dioecesis confines putamus Dioeceses *Septempedanam*, *Tolentinatem*, *Recinensem*, *Urbem-Salviensem*, & *Cingulanam*.

Tufficana Paroecia juncta fuit Camerinensi. Ptolomaeus Tufficum locat prope Pitinum, Iguojum, Tifernum, atque Etruriae Urbem Perusiam, ut scribit Cluverius, qui hanc sequitur opinionem. [1] Unde Plinio [2] *populi Oppidani sunt Tufficani*. Holstenius [3] vero certum; verumque Tuffici situm reperit inter Mathilicam, & Fabrianum; & bene. Ejus vestigia in Valle Mathilicana ad ripam Aesis fluvii ab Attidio v. mill. pass. circiter distant; ubi lapides aliquot veteres inscripti *Tuffici* nomen praeferentes sunt effossi; aliique ab ipso fluminis cursu sunt detecti, & a Collectoribus recenter vulgati. Fuit Civitas haec Romana Colonia. Forte ex ejus ruinis incrementum habuit *Fabrianum*, vel etiam ortum una cum ruinis *Attidii*. Confines huic Dioeceli sunt in Valle praedicta Dioeceses *Mathilicana*, *Attidias*, *Sentinas*; ultra Apenninum, mare Adriaticum versus, quam Dioecesim confinem habuerit haud facile dijudicarem: ad eam enim partem Vallis S. Clementis protenditur, de qua supra. Podium Ficani corrupte (*Ficano* dictum) forte fuit Podium *Tufficanum*.

Attidium antiquam Romanorum Coloniam trans Aesim Apenninum versus ad radices ejus prope *Aesis* fontem locat Cellarius [4] At si *Aesis* fons supra oppidum *Sanctae Anatoliae* situs est, certe *At-*

[1] Ital. Antiq. lib. II. cap. VII.
[2] Lib. III. cap. XIV.
[3] Ad not. ad citat. Cluv.
[4] Ubi supra lib. II. cap. IX. sect. II. num. 241.

Digitized by Google

Attidii ſitum Cellarius ignoravit. In municipalibus legibus oppidi Sanctae Anatoliae confectis anno 1344. habetur in cap. de officiis rub. de maleficiis: *De reinveniendo curſu fluminis Exini; quae rubrica ſic ſe habet: Quoniam per inceſpationes &c. &, varia impedimenta facta in flumine Exio &c. immo propter venae da Lavaretis, a quibus dictum flumen principaliter habet hortum &c.* Hinc fontem Aeſis fluvii prope *Sanctae Anatoliae* oppidum aperte probamus. Hodie vicus nomine *Attiggio* a Fabriano Camerinum verſus bis mille, & D. circ. paſſ. diſtat, ubi miſerrimae Civitatis reliquiae antiqui *Attidii* ſuperſunt adhuc, & non modicae lapidariae inſcriptiones, quas paſſim exhibent Collectores, ſparſae in illis partibus habentur. Optimè opinatur Cluverius [1] de Attidio ſcribens: *Ex hujus Oppidi ruinis poſtea haud dubie originem habuit Fabrianum Oppidum*: Quam ſententiam & nos veram eſſe cenſentes ſub Guillelmi II. Epiſcopatu in noſtra ſerie firmamus contra Scriptores illos, qui *Fabriano* originem dant ex Sentini ruinis. Dioeceſis Attidias fines habuit *Sentini*, *Tuffici*, & *Mathilicae* Dioeceſes. Poſtquam Benedictus XIII. Fabriano Civitatis inſignia dedit, & templum S. Venantii in Cathedralem erexit, Camerinenſi unitam, Dioeceſis Fabrianenſis habet unitas *Attidiatem*, & *Tufficanam* Dioeceſes.

Sentinas Eccleſia ad Camerinenſem Epiſcopum forte data fuit regenda poſt ejus ruinam. Urbs fuit *Sentinum*, & Colonia Romana ultra Camerinum, Mathilicam, & Attidium, Urbinum verſus; in Apennini Valle eſt oppidum vulgato nomine *Sentino*, ut ſcribit Cluverius. Illud deſcribit Cellarius [2] poſitum inter Aeſim, & Attidium. Lapides è ruinis ſuis eruti Oppidi antiquitatem, & ſplendorem ſatis ſuperque declarant. Dioeceſis Sentinas hodie diviſa eſt inter Camerinenſem Epiſcopum & Nucerinum. Nobile Oppidum *Saxoferratum* e Sentini ruinis ortum habuiſſe crediderim. Antiquae Sentinatis Dioceſeos confines forte fuerunt Dioeceſes *Tadinas*, *Nucerina*, *Senogallienſis*, *& Ager Attidias*, & aliae forſan Dioeceſes Eugubium verſus.

§. IV.

TRactum illum agri qui a Potentia ad Aeſim fluvium protenditur, in cujus ſinu forte *Planium*, ſeu *Planinum*, & ſupra hoc *Cupramontana* & *Veregra*, ſeu *Beregra* antiquae Civitates jacebant; quibus Epiſcopis conſignemus, dubii pariter ſumus. Attamen, ſi, ut nos pariter conjicimus, Ducatus Spoletani partem illam, quae a Cluen-

(1) Ubi ſupra Lib. II. cap. VI. (2) Ubi ſupra num. 236.

Digitized by Google

Cluento ad Aesim fluvium dispanditur, & desinit ad Mysonis oram, qui Auximanum Agrum abluit, ad Camerini Episcopos assignatam velimus studio Spoletanorum Ducum, & Romanorum Pontificum concessione, quemadmodum differentes nos de Cingulo ad sensum cl. Raphaellii argumentati sumus, Civitates illas, tractumque illum Agri crederem pariter Camerinensi antiquae Dioeceseſi assignandum. Quicquid vero de hoc sit, quum certi nihil habeamus, abs re factum non puto, si hanc quoque Piceni regionem, & Spoletani Ducatus partem illustrare non omittam, relinquens eruditis libertatem Civitates illas, quibus libuerit Episcopis assignare.

Cupra-montanam si suos forte habuit Episcopos, sicut aliae Picenae Civitates intra fines Spoletani Cisapennini Ducatus, & in Marchia Camerinensi [1] ponimus, & ea ratione Camerinensi Episcopatui addictam judicamus. Nunc Aesino Episcopatui est unita. De Cuprae montanae situ prope Massatium detecto a Sartio meo, vide quid scribat eruditissimus Vir in sua Epistola typis Gavellianis Pisauri publici juris facta anno 1748. Confines potuit habere Dioeceses *Cingulanam*, *Sentinatem*, *Tusficanam*, & *Aesinam*. At de hac dubito.

Cur autem de Cuprae-montanae finibus Aesium versus anceps ego sim, dicam paucis. Ad non leves adnixus conjecturas suspicor antiquam civitatem *Planiam*, seu *Planinam*, sive *Plyniam* unde apud Plinium lib. III. populi *Planienſes*, seu *Planinenſes* dicti sunt, sitam fuisse in illa peramoena, & ampla planitie, cui hodieque *Pianello* nomen haeret, ab Aesio IV. supra mill. passi. ad ejus Occidentem hiemalem sitam. Ne mea conjectura despectui sit, prius nonnulla sunt animadvertenda.

Variae sunt Plinii textus lectiones, quae in vulgatis libris habentur de nomine *Planio*, seu *Planino*, [2] & de populis *Planienſibus*

G

[1] Eugenii III. Apostolicae litterae pro Camaldulensi Congregatione datae anno 1147. id. Februarii, & tom. III. Annalium Camaldulensium (ad num. CCLXXXIII. col. 418.) proferuntur. In iis haec habentur: *In Marchia Camerina Monaſterium S. Georgii, Monaſterium S. Martini in Accole cum Eccleſia, quae dicitur Heremite*: Inter alias Ecclesias, & Coenobia, duo haec Monasteria ad Camaldulensem Congregationem spectabant. Monasterium Sancti Georgii situm erat in agro *Montis-roberti*, cujus Ecclesia nostris diebus corruit. *Monſ robertus* habet confinem ad Occidentem agrum *Majolati*, ad Occidentem aestivum *Caſtrum-belinum*, vulgo *Caſtelbellino*. Insuper Majolatum ad Occidentem habet proximum, & unitum Agrum Massatiensem, & *Maſſatium* ad Orientem hiemalem habet *Accolam*; quae Castra ex Eugenii litteris in Marchia Camerinensi sita fuisse probantur.

[2] I. In Codice Bibliothecae Riccardianae omnium antiquissimo: *Intus Auximates &c. Planienſes*: II. In editione Parmensi typis Andreaae Portiliae anno nat. Domini 1481. VIII. idus Julii lib. III. cap. 12: *Intus Auximates &c. Plinienſes*: III. In Veneta editione apud Georgium de Lusconibus mense Nov. 1519. sumptibus or-

Digitized by Google

bus, seu *Planinenſibus*. Quocumque vero nomine civitas illa nuncupata ſit, a loco *Pianello* vulgo dicto illam dimoveri haud poſſe dijudico. Veſtigia praegrandium murorum, quamvis pene omnia ſolo aequata ſint, ad longitudinem 500. paſſ. equidem vidi, & ſuperſunt adhuc, queis argumentari fas eſt in ea planitie ſitam fuiſſe veruſtam, & quidem nobilem Civitatem. Subterranei etiam aquaeductus ibi aliquando ſunt detecti. Frequentibus laterculorum, & coctilium fragmentis ager eſt undequaque conſperſus; & niſi locus ille per plura ſecula fuiſſet diſſipatus, alia ſane nobiliora apparerent veſtigia admiratione digniſſima. Innumera antiqua numiſmata, & metalla collecta ibi ſunt, & colliguntur adhuc. Fragmenta veterum inſcriptionum [1] etiam aere ſculpta, & aenea idola, nonnullorum fide dignorum teſtium ſunt ibi reperta. Quid ergo optari poteſt illuſtrius ad hanc conjecturam firmandam? Inſuper nonne nomen illud vulgare *Pianello* latine *Planinum* apertiſſime ſonat?

Joannes Franciſcus Lancellottus Staphylanus rerum antiquarum noſtrae Provinciae impiger Collector, veterumque inſcriptionum, quae vel editae ſunt, vel ineditae, fidiſſimus exſcriptor, a quo & hiſtoriam litterariam Piceni expectamus, ille eſt qui in illa planitie *Planum*, ſeu *Planinum* ſuſpicatus eſt, [2] nec ſtudiis parcet ſuis ad veritatem aſſequendam; quamvis ego aliis rationibus a Lancellotto mecum humaniſſimè communicatis Civitatem *Planiam* in loco *Pianello* dicto, in quo ſupereſt adhuc parvulum templum *S. Maria del Pianello* hodiedum nuncupatum, ſitam fuiſſe, ibique quaſi tuto figendam eſſe argumenter.

An-

ornatiſſimi Viri Lucae Antonii de Giunta: *Planinenſes* = IV. In altera Veneta editione typis Melchioris Seſſae, & Petri Serenae anno 1524. die 24. Martii expurgata opera Joannis Camertis lib. III. cap. 13: *Intus Auximates* &c. *Plynienſes*: in margine legitur: *Plynienſes*. V. In editione Coloniae Allogobrum anni 1631. ſumptibus Jacobi Criſpini cum variis notis lib. III. cap. 13: *Intus Auximates* &c. *Pleninenſes*: in margine habetur: *Plinienſes*, & juxta veteſtum Codicem ms. Chiffletianum *Plinienſes*. VI. Tandem juxta editionem Joannis Harduini: *Intus Auximates* &c. *Pleninenſes*. Hae ſunt Pliniani textus variae lectiones.

(1) Duae ſunt inſcriptiones ad noſtros *Planienſes*, ſeu *Planinenſes* forte ſpectantes. Altera legitur in aula domus communis Caſtri Planii & illa eſt =

GRAECINIAE. Q. . . . .
PARTINAE. VXORI.
OPTIMAE. PIENTISSIMAE.
Q. PRECIVS. PROCVLVS.
OB. MERITA. EIVS
P. P. BIS.

Altera in fronte majoris Eccleſiae Montis roberti, & eſt.

L. PLOTIVS.
L. P. VEL.
CRVSTA.

Qui lapis L. Plotio Cruſtae de tribu Velina poſitus fuit. Utramque inſcriptionem vulgavit Lancellottus (Diſſert. Epiſt. §. XXII. pag. 35.)

(2) Diſſert. Epiſt. §. XXII. pag. 34.

Digitized by Google

Antiquum *Planium*, ſive *Planinum* barbaricis incurſionibus, aliiſque infortuniis excidiſſe certa res eſt. Ex ruinis originem traxiſſe ſuam illa Oppidula in collibus vicinis ſita probabili conjectura tenendum eſt. Talia ſunt *Majolatum*, *Mons Roberti*, *Caſtrum Belinum* [1] & *Caſtrum Planii* Caſtella inter ſe fere juncta ut populus, qui illa incolit, unus eſſe videatur in tot caſtella diviſus. Quod duobus argumentis pene ad evidentiam firmamus. Primo quidem incolae *Montis-Roberti* poſſidentes praedia in agro *Caſtri-Velini* Principi tributa ſolvunt ex collectis ab agri fructibus quaeſtori *Montis-Roberti*, & non *Caſtri-Velini*. Idipſum faciunt incolae *Caſtri-Velini* poſſidentes praedia in agro *Montis-Roberti*. Unuſquiſque tributa Principi debita ſolvit quaeſtori ſuo, quaſi illorum ager eſſet indiviſus, & unus eſſet populus, unumque territorium. Secundo DC. circ. paſſ. a *Planio*, ſeu *Planino* jacet monaſterium cum templo S. Mariae ſacro *delle Moglie*, vulgo dicto, eratque ibi conſtituta nobilis Abbatia Ordinis S. Benedicti; cujus praedia, & cenſus menſae Canonicorum Aeſinae Cathedralis ſunt aſſignata. Monaſterium integrum eſt, integrum templum praegrande, & pulcherrimum. Sacerdotium eſt ibi conſtitutum, & presbyter, qui templum curat Plebani titulo inſignitus eſt. Hunc eligunt Plebani *Majolati*, *Caſtri-Planii*, & *Caſtri-Belini*: quod nobis innuit incolas horum Caſtrorum jus ſemper habuiſſe in illud Sacerdotium, cujus electio unicuique Plebano ſuo ab illorum Caſtrorum

[1] Si Caſtrum *Belinum* e ruinis *Planii*, ſeu *Planini* ortum velimus utpote huic Civitati proximum, deſpicient noſtram opinionem ii, qui illud a Ghibellinis aedificatum volunt, ideoque non *Caſtrum Belinum*, ſed Caſtrum Ghibellinum vocant. Neſcio tamen qua ratione id dictitent. Sunt qui dant *Caſtro-belino* antiquiſſimam originem, & illius certiſſimam exiſtentiam, antequam furens illa factio Guelphorum, & Ghibellinorum Italiam dilaceraret. Quare ergo non magis *Caſtrum-belinum* dictum volumus a *Bellino*, ſeu *Beleni* numine, de quo agit cl. Antiſtes Hadrienſis Philippus a Turre in diſſertatione de diis Aquilejenſibus; & Abb. Banier in lib. VI. cap. VII. ſuae mythologiae. Quare non potius dictum *Caſtrum Velinum* a Velina tribu, cui Picentium plurimi erant adſcripti? Habemus C. Plotium Cruſtam e tribu Velina in lapide *Montis-Roberti*, quem ſupra dedimus, qui lapis ad *Caſtrum-Belinum* etiam ſpectat, quum haec duo Caſtra adeo proxima ſint, ut vix tercentum paſſ. inter ipſa intercedant, habeantque agros ſuos, ut mox dicemus, indiviſos. Caſtrum *Belinum*, non *Velinum* forte dictum eſt, quia, ut apud omnes notiſſimum eſt, Itali & Latini V conſonans perſaepe uſurpare conſueverunt pro B, & B pro V conſonante; & dicunt *Corbo*, & *Corvo Botum* & *Votum*, & in antiquis inſcriptionibus lapidariis *Bixit*, & *Vixit* frequenter legimus. Idem, proinde eſt *Caſtrum-belinum* ac *Caſtrum-velinum*. Quis ergo prohibet, quin credamus *Caſtrum-belinum* a gente Planienſi Velinae tribui adſcripta aedificatum? Tandem quare non etiam a proximo *Planino* Caſtrum *Planinum* eſt appellandum corrupte poſtea a Vulgo *Caſtrum Bellinum* [*Caſtel Bellino*] nuncupatum! Potuerunt enim ipſimet Planienſes illud in colle conſtruere ſuae Civitatis propugnaculum. Revera etymon nominis hujus Caſtri ſic ductum non erit adeo ineptum, ut illud a Ghibellinis derivatum.

Digitized by Google

populo collata fuiſſe credenda eſt. En tria haec Caſtella ſic jura inter ſe habere communia, ut populus unus videatur, quamvis in tot caſtella diviſus, quae omnia aperte comprobare videntur ex *Planii* ſeu *Planini* civitate Caſtra illa originem traxiſſe ſuam, & propterea hodiedum apparere indiviſa.

Caſtrum *Planium*, quod modo jacet inter colles trans Aeſim fluvium ad 11. mill. paſſ. circ. a *Plania* civitate diſſitum, [1] diverſum ab antiquo eſt conſtituto jam DCCC. circ. paſſ. ab eadem Civitate, & recentioribus calamitatibus disjecto, cujus reliquiae viſibiles, & monaſterio *S. Mariae delle Moglie* ſupra memorato proximae adhuc ſuperſunt. Ab ipſa vero civitate *Plania*, ſeu *Planina* originem habuiſſe Caſtrum *Planium*, nomen ipſum indicare videtur; quod non leve argumentum eſt ad tutius in illa planitie figendum antiquum *Planium*, cujus nomen habebat antiquum Caſtrum *Planii*, & etiam nunc ſervat novum.

Inſuper novum Caſtrum *Planii* in fere innumeris ſchedis ſcriptum habetur cum j longo conſonante, quod geminis ii aequivalet, ac ſi ſcriptum foret Caſtrum *Planii*, illiuſque Caſtri incolae *Caſtroplanienſes* ſe obſignant, ſicuti Plinius incolas antiqui *Planii Planienſes* nuncupavit: ſic opportune me monet amiciſſimus Lancellottus. Novum Caſtrum *Planium* conditum fuit poſt antiqui vaſtationem. Quod ſi Cluverius [2] antiqui *Pituli* ſitum nobis adhuc ignotum argumentatur fuiſſe prope Prolaqueum, hodie *Ploracum*, ubi miſerrimus pagus exiſtit vulgo dictum *Piolo*, in quo nulla vetuſti oppidi rudera apparent: majori ſane ratione poſſumus nos argumentari antiquum *Planium* ſive *Planinum* ſitum fuiſſe non longe a *Caſtro Planii*, quod ſimillimum retinet antiqui *Planii* nomen, & in loco *Piauello* nuncupato, qui *Planinae* civitatis nomen praefert. Sic in illa regione & *Planii* & *Planini* nominis monumenta ſuperſunt. Quumque res ita ſe habeat, pene ad evidentiam *Planii*, ſeu *Planini* ſitus a nobis repertus videtur; apparetque nil aliud forſan optandum, quam in illa planitie aliquam inſcriptionem ad *Planienſes*, ſeu *Planinenſes* ſpectantem excavare ad noſtras conjecturas tutiſſime confirmandas.

Igitur, ut aliquando ad rem noſtram redeamus, ſi *Planium*, ſeu *Planinum* ſitum erat in ea regione, quam in Marchia Camerinenſi ſitam

(1) Lancell. Diſſert. Epiſt. ubi ſup. p. 14.

(2) Lib. II. Cap. VI. *Pituli* ſitus forte melius figendus eſt in Agro Rocchae-contradae, prope pagum *Peticchio* appellatum, ubi ſparſa deteguntur & patent rudera perampli oppidi, & ſplendida monumenta. In antiquis ſchedis ſcriptus legitur *collis Pitulanus*, collis *Pitanus*, hodie *Bipzanus*, qui collis proximus eſt pago *Piticchio* dicto. In antiquis chartis Seculi XIII. pagus iſte vocatur etiam Caſtrum *Pitili*, & etiam *Piticle* unde *Piticchio*; Haec debemus amiciſſimo Lancellotto.

tam fuiſſe ſupra firmavimus, *Planienſem*, ſeu *Planinenſem* civitatem, ejuſque forſan Dioeceſim Camerinem Eccleſiae non ineptè donamus; & tunc *Cuprae-montanae* Dioeceſi confines erunt Dioeceſes *Cingulana*, *Planinenſis*, *Sentinas*, & *Tuſficana*. Dioeceſi vero *Planienſi* confines poſſunt aſſignari Paroeciae Epiſcopales *Cuprae-montanae*, *Aeſii*, *Cinguli*, forte etiam *Beregrae*, ſeu *Veregrae*. Hujus enim oppidi ſitus, etſi lateat adhuc; attamen inter Auximum, & Planium eſt determinandus, conjecturis utique non contemnendis.

Infra *Montem filiorum Octrani* [vulgo *Monteſilottrano*] & *Montem-fanum* illuſtria Piceni oppida Auximanae Dioeceſeos, alterum ad Occaſum hiemalem Auximi, alterum ad Meridiem, peramoena ampla, & fertilis jacet Vallis longitudinis *II.* mill. circ. paſſ. ab Auximo ſupra IV. mill. paſſ. diſſita, quae deficit ad Myſonis oram jam terminum Spoletani Ducatus ad ſenſum cl. Anonymi Mediolanenſis, & in illa Valle perfluit parvulus, ſed perennis fluvius *Fiumicello* dictus. Hic ego non dubitarem figere antiquam *Beregram* ſeu *Veregram*, quam poſuit Ferrarius ad *Montem-Fanum*, ubi plura ſuperſunt monumenta antiquitatis, lapideaeque inſcriptiones; quae tamen, quum certo certius ſit in enunciata valle fuiſſe detecta, & fluvii alluvione effoſſa, non in colle, ſed in valle vetuſtum illud oppidum figendum eſſe argumentor. Vallem illam cum perluſtrarem (in ea enim mea collegiata Eccleſia pingue habet, & amplum praedium) ibi antiqui, & magnifici oppidi veſtigia reperi. Effoſſâ humo ſubterraneae viae, arcuſque plures detecti ſunt ab illis ruricolis. Ibi aurei, argentei, aenei nummi in dies effodiuntur. Solum aſperſum aſpicitur innumeris coctilibus, marmoreiſque fragmentis minutis teſſellis compoſitis, quae muſiva dicuntur. Alia marmorea fragmenta ſcalpro figurata, plumbi magni ponderis forte aquae-ductus tubi ſunt reperta, unumque parvulum columnae epyſtrilium affabre laboratum Silveſter Rondinius Montefelocranenſis jam Lauretanae Baſilicae Archidiaconus vir nobilis & eruditus ſecum tulit, quum una mecum, dum in vivis eſſet, hanc vallem perluſtraret. Ad longitudinem fere unius milliarii antiquitatum monumenta patent adhuc, quod revera argumentum non leve eſt ad ibi aliquod inſigne oppidum ſuſpicandum. Vallis iſta a Monte-fano MD. paſſ. abeſt, a Montefilocrano M. M. Ambo haec oppida originem ſuam a Veregra jactant. Triginta ab hinc annis in platea Montis-fani me vidiſſe memor ſum fragmentum lapideae inſcriptionis, in quo legebatur VERE[illegible] ultimo G per medium fracto. Scio & alios idipſum vidiſſe. Nunc & aliud fragmentum lapideae inſcriptionis in fronte Collegiatae Eccleſiae illius Oppidi eſt affixum, in quo haec habentur.

S. VII.

Digitized by Google

Et in hac inſcriptione ab illa Valle ad Collem, ubi *Mont-fanum* jacet, exportatâ memoratur *Patronus Coloniae*, quod forte conjecturas noſtras poteſt roborare. His igitur rationibus non male argumentamur ſi *Veregrae*, ſive *Beregrae* ſitum in ea valle figamus. Si fluvius ibi diſcurrens ſuum non mutaſſet alveum, forſan alia monumenta fuiſſent detecta ad hoc topographiae punctum tutius figendum.

Veregrana Dioeceſis, quando tali honore Romanas colonias ornare velimus, confines habere potuit Dioeceſes *Auximanam*, *Ricinenſem*, *Trejenſem*, *Cingulanam*, & *Planiam*. Forſan hucuſque luſimus, amice lector; forſan etiam ſomniavimus tot Dioeceſes expiſcantes, quot civitates antiquas intra fines Camerinenſis, & Spoletani Ducatus ſtuduimus inveſtigare. Forte etiam, non. Ad conjecturas enim incumbere, praeſertim quando rationabiles ſint, vitioſum non eſt. Poſſunt enim aliquando in lucem monumenta prodire, quae conjecturas in veritatem convertant.

Ex iis, quae forte nimis prolixa, & noſtro argumento etiam importuna aliquis judicabit, tandem colligimus Dioeceſim Camerinenſem tot Dioeceſibus, & regionibus amplificatam [omiſſis agris illis, quos ſolis conjecturis Dioeceſi noſtrae aſſignavimus] ad meridiem Camerini Viſſum verſus habere confinem Dioeceſim *Spoletanam*: Ad Orientem hiemalem San-geneſium verſus *Firmanam*: Ad Orientem Vernalem Montecchium verſus *Firmanam*, & *Maceratenſem*: Ad Auſtrum Pyrum verſus *Aeſinam*, *Auximanam*, & *Cingulanam*: ad Occidentem aeſtivum, & Serram San-quirici. *Senogallienſem*, mox *Nucerinam*: ad vernalem Occaſum *Fabrianenſem*, & *Nucerinam*, & ſupra hanc *Fulginatem*. Haec eſt amplitudo noſtrae Dioeceſis.

Merito igitur Epiſcopus Camerinenſis unus eſt ex illuſtrioribus Picenae Provinciae, in qua ſuam protendit juriſdictionem. [Longe illuſtrior aliquando fuit, & antequam *Urbis-ſalvienſis*, *Tolentinatis*, & *San-ſeverinatis* Dioeceſibus eſſet ſpoliatus]. Id in cauſla fuit, cur Epiſcopatus Camerinenſis maximum apud omnes ſibi nomen fecerit, gloriamque & venerationem nactus fuerit haud ſane vulgarem. In Camerinenſi ſiquidem ampliſſima Dioeceſi animae computantur, una cum nova Dioeceſi Fabrianenſi fere 70000. Vicariatus, ut dicunt

Digitized by Google

cunt, Foranei 26. Eccleſiae parochiales 170, in Fabriani agro, & dioeceſi 33.

CAPUT V.

De temporali Camerinenſium Epiſcoporum juriſdictione.

I. Origo juriſdictionis temporalis Epiſcoporum.
II. Epiſcopi Camerinenſes hac temporali juriſdictione decorati, quemadmodum alii.
III. Quam divites Epiſcopi Camerinenſes.
IV. Duces, & Marchiones Spoletani Eccleſiae Camerinenſi ſtudebant preficere ſuos amicos, & fautores.
V. Quando Epiſcopis Camerinenſibus juriſdictio temporalis data ſit argumentis inveſtigatur.
VI. Quam ampla fuerit juriſdictio temporalis Epiſcoporum Camerinenſium.
VII. Quando Epiſcopis Camerinenſibus haec juriſdictio defecerit.

§. I.

CAmerinenſes Epiſcopos tam inſignis Eccleſiae, & inter orthodoxi orbis illuſtriores adnumerandae, tamque amplae Dioeceſeos dominos pedetentim illis commendatae, ſanctaeque Sedi immediatè ſemper ſubjectos; temporali etiam juriſdictione ornatos fuiſſe, qua hodiedum videmus aliquos in Italia, & plurimos ultra montes praelucere Paſtores, certa res eſt, certiſque documentis comprobatur. Optimè animadvertit Muratorius [1] in Italia prae coeteris Epiſcoporum dominatum inſigniorem fuiſſe ob incredibilem illorum opulentiam. Principes enim *jura in populis*, *Vectigalia*, *Tributa*, *aliaque permulta*, *Regaliae* nomine comprehenſa; privatae perſonae *predia*, *Aedes*, *ſylvas*, *paſcua*, *montes*, *nummos*, & alia hujuſmodi Eccleſiis munificè donabant *pro remiſſione peccatorum ſuorum*, *vel parentum*, *vel conſanguineorum*: & Epiſcopi dona illa libentiſſime recipiebant ad ſublevandas pauperum neceſſitates, ad ornatum ſacrarum Ædium, & aliis ſui gregis indigentiis occurrendum. Hinc origo temporalis juriſdictionis Epiſcoporum ad ſenſum laudati Scriptoris.

§. II.

(1) Antiquit. Ital. Diſs. LXXI.

§. II.

ID etiam alia ratione eveniſſe cenſemus noſtris Camerinenſibus Epiſcopis. Vita ſine liberis functo Ludovico II. anno 875, illius Imperii ſucceſſor fuit Carolus Calvus. In exortis inde diſſidiis ob defectum Caroli M. ſucceſſorum *Marchiones Camerinenſes* jecere ſui principatus fundamenta. Hinc illi ad Italiae regnum, & ad ipſum etiam imperium aliquando tranſierunt, modo praetextu affinitatis cum regio ſanguine; modo, idque multo magis praeeminentia Camerinenſis Marchionatus, qui ex illuſtrioribus Italiae Principatibus evaſerat: talique charactere haec Spoletani Ducatus citerior pars inſignita fuit; quum Francorum more, ut nota res eſt, totam Italiam Carolus M. in Marchias, Ducatus, & Comitatus diviſit. Camerinenſi Marchiae anno 888. praeſidebat Wido, qui, e vivis Carolo Craſſo ſublato, Galliarum appetiit coronam, quique poſt variam vicem Italiae Rex, & Imperator fuit proclamatus. Princeps iſte (forte etiam *Carolus Calvus*) Epiſcoporum Camerinenſium potentiam munificentiſſimè amplificaſſe putandus eſt, ſuperaddito Epiſcopis privilegio ſuffragii praeſtandi in Regis italici electione; ut ſic, aucupato novo ſuffragio ſecluſis aliis, ſuam poſſet electionem reddere tutiorem. Factum exinde forte eſt, ut Epiſcopi Camerinenſes legitima ſua ſuffragia in hac electione reddiderint, quae antea forſan uſurpata fuiſſe videbantur.

Igitur quotquot principes Italiae regnum ambiebant, omnes certatim Praeſules privilegiis cumulaſſe cedendo illis plenum, & abſolutum nonnullarum Civitatum, & Caſtrorum in unaquaque ipſorum Dioeceſi exiſtentium ſecularem dominatum indubiè credendi ſunt. Unde factum eſt, ut *Comites*; ſeu Civitatum rectores ſpoliati remanerent Oppidis, & Caſtris, in quibus dominabantur; & quibuſdam, ut animadvertit Muratorius (1) illorum auctoritas penitus extincta, quia ad Epiſcopos, & etiam ad Abbates translata, a quibus inde difficilius poterant avelli. Nullus propterea Epiſcopus per illa tempora reperiebatur, ut idem Muratorius (2) aſſerit, qui temporalem juriſdictionem non haberet, ubi majorem, ubi minorem in ſuae Dioeceſis Oppidis, & Caſtellis: & hac juriſdictione Epiſcopos noſtros fuiſſe ampliſſimè decoratos, apertè infra probabimus.

Neque hic reticenda videtur alia ratio, quam laudatus Muratorius affert, (3) cur ad tantum potentiae evecti ſint Epiſcopi: quia videlicet Germanicis regibus mirum in modum pecuniis inhiantibus Epi-

(1) Antiq. Ital. Diſs. LXXI.
(2) Antiq. Ital. Diſs. LXXI. ut ſup.
(3) Antiq. Ital. Diſs. VIII.

Digitized by Google

Episcopi erant opportuni non ad regnum Italiae solum obtinendum; verum etiam ad illud firmius retinendum: exuberantesque divitiae Episcoporum, a quibus pecunias consequi poterant erant opportunae. Episcopi vero liberales se Regibus exhibebant; studebantque ab illis temporalibus amplificari juribus ad majores divitias comparandas & potentiam augendam. Idipsum evenire potuit Episcopis Camerinensibus inter potentes, & divites adnumerandis, quorum gloriae Marchiones Camerinenses, Ducesque Spoletani studiosissimi fautores sunt habendi.

§. III.

ET revera, quam amplam, splendidamque mensam Camerinensi Episcopo reddere potuerunt tot Episcopales sedes illi commendatae? Ante medium X. seculum nostrae Dioeceſi *Septempedana* Ecclesia erat jam copulata. Patet ab Eudonis scheda, quam damus in Appendice documentorum ad annum 944. Mensa Septempedana praedives erat, si ulla fides danda sit recentioribus actis Sancti Severini illius Civitatis Episcopi, in quibus legitur sanctum Episcopum pauperem mensam suam reperisse, & reliquisse *ditissimam*: Non est tamen ambigendum in istis actis traditiones insertas fuisse venerabilis Ecclesiae Septempedanae, quae non sunt omnino abjiciendae; quamvis illae non habeantur in antiquiori legenda forsan composita circa VII. seculum. A Bollando utraque acta referuntur. (1)

Praeter Septempedanam aliae per illa tempora Dioeceses commendatae forte fuerunt Episcopo nostro in Piceno fertilibus in regionibus, quales sunt *Tolentinas*, *Urbs-Salvienſis*, & ager *Trejenſis*. *Matilicana* Ecclesia circa medium X. seculum data fuit Antistiti Camerinensi regenda cum agris *Attidiate*, *Tufficano*, & *Sentinate*; ut alias opportunius, quando de S. Venantio Episcopo, & Confessore disseremus in serie. Nemo ergo non videt quam amplam, opulentamque mensam nostris Episcopis dabant tot illae Dioeceses in tam uberibus regionibus constitutae; quamque opportunae fuerunt Episcopis Camerinensibus ad sese exhibendos liberales Principibus, illis, qui Ecclesiae Camerinensi immunitates, exemptiones, & jura in dies augebant.

(1) Acta SS. Jan. Tom. I. ad diem 8. Jan.

Digitized by Google

§. IV.

A Celebri illo Eudonis diplomate, alterum habemus Camerinenſium Marchionum ſtudium ad amorem ſibi captandum Camerinenſium Antiſtitum; Marchiones ſiquidem nitebantur, ut ad regendam Dioeceſim illam ſeligerentur viri illis apprimè cari, & amici; Id aperte aſſerit Eudo in ſuo Diplomate, quo profitetur erigere templum in honorem B.Mariae Virginis *pro redemptione animarum domnorum regum ſeniorum meorum*..... (ſunt verba diplomatis) *per quorum interventum mervi impetrare Epiſcopatum, & benedictione*. Rex erat *Ugo*, *Vbertus* ejus filius *Dux*, *& Marchio*. Forte *Vberti* opera Dioeceſis *Matilicana* commendata fuit Camerinenſi Epiſcopo poſt annum 946, quo ab Arnulpho Germaniae Rege Civitas illa fuit everſa, teſte Liutprando (1)

§. V.

ANte IX. ſeculum Epiſcopos noſtros hac temporali juriſdictione ornatos fuiſſe comperimus. *Solon* enim Epiſcopus circa annum 750. arma ſumpſit in Langobardos, Duxque ſuorum civium factus Civitatis obſidionem ſtrenue ſuſtinuit, hoſteſque fugavit; ſi Ughellio (2) & Lilio (3) fidem praeſtare velimus. Quae ſi vera ſint, poſſumus argumentari, *Solonem* hac juriſdictione ornatum, & propterea arma pertractantem ad creditos ſibi populos tuendos. Haec ſiquidem juriſdictio innumeris obvolvit Epiſcopos ſollicitudinibus, ut bene advertit Muratorius (4) & inter has illae erant praecipuae; regiis Comitiis intereſſe, reges aſſociare, &, quod deterius eſt, copias, commeatus, nummos illis ſuppeditare, arma ſumere, ad bella procedere, gladium pertractare, ut fecit *Solon*. Inſuper *S. Auſovinus* Epiſcopus floruit ſeculo IX; & conſtanter renuit Epiſcopalem dignitatem aſſumere, quia per illa tempora Imperatores, & Reges *Epiſcopos more ſecularium militare cogebant*. Epiſcopatum Sanctus Vir tunc accepit, quando *data eſt optio ſancto Viro a praemiſſo Caeſare* (nempe Ludovico) *ſecure accedendi ad Pontificatus honorem, quia non auderet eum quiſquam compellere deinceps militiae rei inſervire ſeculari*. Quibus verbis aperte patet ante *Auſovini* tempora noſtros Epiſcopos compulſos fuiſſe ad bella procedere. Ante *Auſovinum* ſedem tenuit *Fratellus*, qui una cum aliis Epiſcopis Ludovicum

[1] Ep. Ticin. Lib. 1. cap. IX. Compagn. Reg. Pic. P. 1. L. 1. p.
[2] Ital. Sac. Tom. 1. Epiſc. Camerin.
[3] Part. 1. Lib. IV. pag. 120.
[4] Antiq. Ital. Diſſ. LXXI.

Digitized by Google

cum II. Corona italici regni a Sergio PP. donandum aſſociavit (1). Muratorius (2) ſcribit *Widonem* contra Berengarium anno 889. progreſſum multos inter copias ſuas habuiſſe Epiſcopos gladios pertractantes, & inter hos illos illarum Civitatum, in quibus *Wido* dominabatur: Habuit igitur Epiſcopum etiam Camerini: quum *Wido* Dux & Marchio eſſet Camerinenſis, & Spoletanus. Ex dictis propterea patet dominatum temporalem Epiſcopis noſtris ante IX. ſeculum fuiſſe collatum.

§. VI.

JUs ergo temporale Epiſcopis Camerinenſibus non eſt denegandum auctoritate Muratorii, qui in ſua laudata diſſertatione LXXI. ſingulis Epiſcopis ſaltem in aliquo Caſtro id ultro concedit; illudque ab antiquis noſtrorum Epiſcoporum actis ante etiam IX. ſeculum adtributum fuiſſe denegandum illis non videtur. Supereſt videndum, quanta hujuſmodi Principatus fuerit amplitudo, & quibus in locis dominati Epiſcopi noſtri fuerint. Scimus nonnullis Epiſcopis aliquando fuiſſe aſſignatum jus ad I, II, III, IV, & V. milliaria per gyrum illius Civitatis, in qua dominabantur (3). Quoad noſtros Epiſcopos aliter forte argumentandum eſt. In Civitate ipſa Camerini, & ejus Dioeceſi jus iſtud Epiſcopis non videtur dandum. Documenta ad id probandum deficiunt. In ea *Marchiones* dominabantur, qui ſibi forte in ea Civitate plenam reſervaſſe juriſdictionem credendi ſunt. (4) Quod nobis compertum eſt, proferam. Ex Diplomate *Laurentii* Epiſcopi, quod habes in Appendice documentorum ad ann. 1119. certi reddimur *Laurentium* dominatum fuiſſe in toto *Caſtello S. Severini*, *& ejus Curte*; in Caſtro *Palliolitì*, in Coenobiis *S. Euſtacchii de Domoris*, & *S. Laurentii in Doliolo*, *in Plebe S. Victorini*, & in aliis Eccleſiis. Sub Epiſcopo *Acceptante* documento probatur ſpectaſſe ad Epiſcopos noſtros Caſtrum *Collis Lutii* (vulgo *Colle-luce*) & *Bolvignanum*; & ad ſeculum uſque XIII. dominatos fuiſſe in Caſtro *Aliſurni*. Hinc patet Antiſtites noſtros jus habuiſſe temporale in tota Septempedana Dioeceſi, in qua Caſtra illa, & Coenobia ſita ſunt. Compagnonus in ſua Regia Picena (5) ad Epiſcopalem menſam Camerinenſem dat Caſtrum *Lornani*. Severinius in ſua ms. hiſtoria Geneſina ſcribit ad Epiſcopos noſtros ſpectaſſe Caſtra *Ce-*

[1] Anaſt. Biblioth. Baron. ad ann. 844. in Annal.

[2] Annal. d'Ital. ad ann. 889.

[3] Antiq. Ital. Diſſ. VIII.

[4] Forte, Spoletanis Ducibus aliò frequenter occupatis, Camerinenſes Epiſcopi vices illorum gerere aliquando poterant, & ſic Camerinum gubernare.

[5] Part. 1. Lib. III. num. XXXIII. p. 151.

Digitized by Google

liani, & *Riparum* (1) S. Geneſii, quae videntur aſſignanda antiquae Urbi-Salvienſis Dioeceſi. Forte etiam in hac Dioeceſi potuerunt Epiſcopi Camerinenſes juriſdictionem exercuiſſe temporalem, & in aliis illis commendatis; ſed documenta ad id probandum deficiunt.

§. VII.

CAmerinenſium Epiſcoporum aliqua temporalis juriſdictio forte perduravit ad ſeculum medium XIII. Habemus ſiquidem in tabulario S. Severini Friderici I. Imperatoris Diploma, quod in appendice documentorum damus ad annum 1177, ubi praeſentes obſignatos legimus duos *Conſules* San-Severini: itaut etiam San-Severinates circa ea tempora gubernationem temporalem Epiſcoporum retractantes exempla ſequuti aliarum italicarum civitatum conſtituerint ſibi municipalem magiſtratum, & *Conſules* (2) qui, aſſumpta oppidi, totiuſque comitatus gubernatione, ſtuduerunt amiſſum agrum, amiſſaque caſtra recuperare, & poſſeſſionem rerum, quas violenter repetebant, vel venditionis praetextu (3) vel alia minus Epiſcopali dignitate obnoxia via (4) colorabant; revera tamen palliata potentia. Haec dicta ſint ſatis.

CA-

[1] Ex Severinii ms. hiſtoria lib. 1. colligimus Caſtra *Celiani*, & *Riparum* a Geneſinis fuiſſe occupata; & litteris Apoſtolicis Innocentii IV. anno 1250, inſtante Epiſcopo, Geneſinos compulſos fuiſſe ad illa reſtituenda. Indignati propterea Geneſini extremam Caſtris illis intulere ruinam.

[2] Murat. Annal. d'Italia anno 1207.

[3] Exemplum forſan habemus in Epiſcopatu noſtri Guillelmi I, qui anno 1257. vendidit Communi San-Severini Caſtrum Aliſurni cum ejus agro pretio DC. libr. Rav. & Anc., quam pecuniam fatetur ſe retinere ad commodum, & utilitatem Epiſcopatus, & menſae, pro debitis uſuratiis perſolvendis, & pro quibuſdam praediis ipſi Epiſcopatui, & pro ipſo Epiſcopatu emptis.

[4] Frequentius forſan emphyteutico jure Epiſcopi ſua oppida & caſtella ad tertiam generationem cedebant. Warnerio Marchioni Camerinenſi, ejus uxori, & filio ſic ceſſit Laurentius anno 1119. *Caſtellum S. Severini, ejus curtem integriter, & in integrum, Caſtrum Pallioliti, Plebem S. Viſtorini, Monaſterium Delioli, & Monaſterium de Demora, & Campos de Plebe S. Petri &c. quia noſtre Eccleſie patronos & defenſores habere ſperamus.* Sunt verba diplomatis. *Accettans* Epiſcopus noſter ceſſit etiam ad tertiam generationem Caſtrum Collis-lutii (*Colleluce*) anno 1186; & id aſſerit facere, *quia dediſti mihi pretium octo lilr. Lucen. & unum annulum aureum valens trium libr. Lucen.* Documenta in Appendice data ſunt.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De illustrioribus Ecclesiis sanctisque Viris Camerinensis Dioecesis.

I. De praeeminentia Ecclesiae Cathedralis.
II. De Ecclesiis Collegiatis.
III. De SS. Civitatis & Dioecesis Patronis.
IV. Cathalogus Sanctorum Civitatis, & Dioecesis.

§. I.

FUndatio Cathedralis Ecclesiae Camerini aeque antiqua est ac sedes Episcopalis. Beatae Virgini Mariae ad Coelum assumptae sacram olim fuisse sub Rambotti Episcopatu firmamus (1). Hodie sacra dicta est beatae Virgini ab Angelo annunciatae. Antiquissimum in ea Ecclesia habemus Canonicorum Collegium, de quo primam nobis exhibet memoriam Eudonis diploma ad annum 944. Regulare fuisse hoc collegium argumentor sub eodem Rambotto (2). Aedes Canonicorum ad latus Cathedralis Ecclesiae vigent adhuc, illasque incolebant anno 1404; vitamque forte communem ii Canonici adhuc continuabant. Erant tunc Cathedralis Ecclesiae servitio mancipati *Archidiaconus*, *Archipresbyter*, *Primicerius* cum aliis quinque Canonicis in illo diplomate obsignatis: an plures fuerint, non liquet. Temporum lapsu *Archipresbyteri* & *Primicerii* nomen post annum nempe 1122. auditum amplius non est. Anno 1254. habemus septem Canonicos cum Archidiacono in diplomatibus Episcoporum, quae sparsim in nostra Appendice leguntur. Anno 1256. octo Canonicos habemus cum Archidiacono; *Priorem*, mox *Praepositum Primicerii* dignitati animadvertimus suffectum. Ab Apostolicis litteris Innocentii IV. ad Episcopum & Capitulum Camerinense datis Perusii Id. dec. anno Pont. IX. anno nempe 1251, quas in Appendice damus, certiores reddimur Pontificem istum, dum in Marchia Anconitana Rectoris munus obibat, duodenarium Canonicorum numerum in illa Ecclesia constituisse: laudatis vero litteris ad majus illius Ecclesiae decus decernit, ex illis duodecim Canonicis quatuor futuros esse Presbyteros, quatuor Diaconos, quatuor Subdiaconos. Canonicorum numerus hodie ad XX. attingit, qui una cum Praebendatis, & Clericis Templo illi religiosissime famulantur. Episcopus unus

[1] Cap. VII. Lib. IV. num. XXIII. [2] Ubi supra num. I.

Digitized by Google

unus eſt ex Canonicis. Capitulum nonnulla Sacerdotia, & beneficia certis anni menſibus vacantia; alia iiſdem menſibus, ſed Capitulum intra, Epiſcopus extra flumina confert; ſuaſque Electores bullas, ut dicunt, expediunt. Canonici ſacros Eccleſiae ritus peragunt Cappa magna cum armellinis hyemali tempore induti aeſtivo cottâ cum rocchetto; habentque in Eccleſia ſcholam muſicam optime conſtitutam cum magno organo ab Epiſcopo noſtro Franciſco Vivanio munificentiſſime inaurato. Pro Civitate, ejus ſuburbio, & viciniis unicus aperitur fons baptiſmalis in Cathedrali Eccleſia (1). Impenſis laudati Epiſcopi Vivanii, hodie Camerinenſem Eccleſiam ſanctiſſimè gubernantis, fons fuit renovatus, & aere ſuo perbellè expolito marmore ornatus. In ipſa Eccleſia praeter plures inſignes Sanctorum reliquias requieſcunt Corpora Sanctorum *Anſovini* Epiſcopi, & *Victorini* eremitae, de quibus alias in noſtra Epiſcoporum chronotaxi.

§. II.

INſigne Templum in Civitatis ſuburbio aſſurgit S. *Martyri* Venantio ſacrum. Antiquiſſimum templum ſubſequentibus ſeculis piis Camerinenſium curis mirificè fuit & amplificatum, & ornatum. Canonicorum Collegium, & quidem illuſtre, ibi eſt ſtatutum cum XII. Canonicis, & Priore, qui Princeps eſt dignitas, rocchetto, & violacea mozzetta ornatis. Hujus Collegii origo, & fundatio, utpote antiquiſsima, ignoratur. De illo memoriam in noſtris chartis habemus in diplomate Attonis II. Epiſcopi noſtri ad annum 1218. in Appendice producto; ideoque ſeculo XII. Canonica S. Venantii jam florebat; longe tamen anteriorem illius fundationem argumentamur, & forſan ad ea tempora illam referimus, quando S. Venantius Civitatis & Dioeceſis fuit princeps Patronus proclamatus, ante ſcilicet tempora S. Anſovini, ut in ſerie (2) diſſerimus. Sub Ara maxima Eccleſiae perampla & elegans Confeſſio aperitur cum ara, in qua corpus colitur S. Porfirii, & ſuper illam erigitur marmorea urna, in qua S. Venantii venerabiles ſervantur exuviae. Subterraneum hoc templum a Card. Mariano Perbenedicto Patritio Camerinenſi

[1] Excitarunt Canonici S. Venantii in ſuburbio queſtionem coram Sacra Congr. Concilii anno 1748. pro fonte baptiſmali in ſua Eccleſia aperiendo. Canonici Cathedralis Eccleſiae favorabile decretum reportarunt die 10. Februarii ejuſdem anni. Et eadem Sac. Cong. hujuſmodi cauſam non amplius proponendam fore dixit; fuiſque Apoſtolicis litteris dat. Romae apud S. Mariam Majorem die 2. Aprilis anni 1748. Benedictus XIV. laudatum decretum confirmavit.

[2] Lib. 1. cap. 1. §. IX.

Digitized by Google

nenſi conditum fuit, & proprio aere pro Cappellanis & Cuſtodibus inſignis ſanctuarii munificè dotatum.

Alia pariter Eccleſia Collegiata, & quidem antiquiſſimae fundationis, florebat Camerini tempore Honorii Papae IV, anno nempe 1285, *S. Sebaſtiano* ſacra cum Priore & quinque Canonicis, quibus, praeter curam animarum, annexum erat Xenodochium pro infirmis, & pauperibus, cujus regimen penes ipſum Capitulum ſtabat, quod cuſtodem ad pium opus exequendum ſeligebat. Id Lilius ignoravit. Ab Apoſtolicis litteris laudati Honorii, quas ad Appendicem amandamus, datis Tibure Kal. Oct. anno illius Pontificatus II, certiores reddimur, quod *Benevenutus Eccleſiae S. Sebaſtiani Canonicus ex parte dilectorum filiorum ..... Prioris & Canonicorum ipſius Eccleſiae propoſuit coram nobis* (ſunt verba litterarum Honorii) *quod pridem ex parte dilectorum filiorum .... Prioris & Fratrum Ordinis Praedicatorum de Camerino minus veraciter nobis ſuggeſto, quod domus ipſorum erat in loco adeo arto conſtructa, quod eam minime poterant ampliare, quodque dicta Eccleſia quinque dumxtaxat parrochianos habebat, licet illa prout idem procurator aſſerit, majorem illorum numerum habere noſcatur, ſuppreſſo etiam quod Eccleſia eadem Collegiata exiſtit, utpote que ad preſens priore non computato predicto, per quinque gubernatur Canonicos, & a tempore, cujus non extat memoria, extitit gubernata, & quod prefati prior & Canonici per Cuſtodem proprium gubernantes infirmos & pauperes in illo recipiunt & juxta ſuarum exigentiam facultatum neceſſitatibus ſubveniunt eorumdem &c.* Honorius pro fratribus Praedicatoribus litteras dedit ad Rambottum noſtrum, ut iiſdem fratribus Eccleſiam concederet, & de Clericis, & Eccleſiae bonis Epiſcopus diſponeret, *prout videret melius expedire*. Audita tamen Canonicorum querela, Cleri, & Civitatis Camerinenſis ad facti novitatem perturbatione Honorius Rambotto praecepit, ut ſuſpenſa priorum litterarum exequtione, ipſum certiorem veritatis redderet. Quid actum ſit, incompertum nobis eſt.

In agro Camerinenſi, & in Dioeceſi Spoletana computabantur tres Collegiatae Eccleſiae: In *plebe Taurina* (vulgo *Pieveturina* (1) pe-

[1] Hoc oppidum ſitum eſt ad meridiem Camerini vi. mill. paſſ. ab illa Civitate diſſitum. Collegiata Eccleſia titulo S. Mariae antiquis temporibus fuit ibi fundata cenſu forſan alicujus Coenobii ibi ſuppreſſi. Nunc cenſus partim aſſignatus eſt Praepoſito illius Eccleſiae, qui *Abbatis* titulo nunc eſt inſignitus, (prius *Plebanus* nuncupabatur; quatuordecim enim Sacerdotia, tamquam Eccleſiae matricis rectori, annuum cenſum illi perſolvunt; unicuſque pro dictis quatuordecim Eccleſiis in Plebe S. Mariae fons baptiſmalis aperiebatur) partim Canonicis; qui Canonici titulo nunc ſpoliati illum tamquam ſimplices beneficiati poſſident; & partim aſſignatus eſt Eccleſiae. Hujus Collegiatae Eccleſiae ſtatus patet ex libro choro Ec-

Digitized by Google

pene nunc cum Collegio ſuppreſſa una eſt. Altera in Eccleſia *S. Angeli de Prefolio* [1] & tertia in Dioeceſi pariter Spoletana in templo *S. Vito* ſacro in *Valle S. Angeli* [2] omnino ambae diſſolutae. Diſſoluta pariter remanſit Eccleſia Collegiata Caſtri Bovelliani vulgo dicta *Pieve-bovegliana*; quod tamen Camerinenſis Territorii, & Dioeceſis ſemper fuit. [3]

Nonnullae ex Collegiatis Eccleſiis noſtrae Dioeceſeos Cathedra-

Eccleſiae olim inſervienti anno 1283. ſcripto. In cujus calce legitur antiquiſſimum officium; quod in feſto S. Blaſii in choro recitabatur; quod ad Appendicem amandamus. Innocentius III. ſuam dedit epiſtolam decretalem ad Epiſcopum Spoletanum, & eſt Cap. *olim* 20. tit. de *cenſibus*, in qua memorarur quaedam *Plebs Rupina* in Dioeceſi Spoletana. Forte ibi ſermo habetur de noſtra *Plebe Taurina*, ſeu *Taurina* olim *Rupina* nuncupata. Conjectura haec non eſt mea, ſed doctiſſimi Anriſitis Compagnoni; *Plebs* enim *Rupina* in Spoletana Dioeceſi hodie nuſquam reperitur; ideoque cl. Compagnonii conjectura maximam vim habere videtur. An *Ventura* Epiſcopus Eugubinus creatus anno 1245. a Bonifacio VIII. *Prior antea Rupinae plebis* in Dioeceſi Spoletana praefuerit Eccleſiae *Plebis Taurinae* ſeu *Rupinae*? Vid. Sartium de Epiſt. Eugub. num. XXXIII. pag. 163.

[1] Caſtrum *Prefolii* ad Occaſum Plebis Taurinae, a qua abeſt unum circ. milliarium, & a Camerino ſex, erat patitet Spuletanae Dioeceſeos. In Monaſterio S. Angeli de Piefolio morabantur Coenobitae regulam profitentes S. Benedicti; in eoque fama eſt, feceſſiſſe S. Petrum Coeleſtinum poſt abdicatum Pontificatum; idque probari aſſerunt ab una epiſtola ab illo S. Viro ſcripta in illo Coenobio, & ſervata in Epiſcopali archivo Spoletano, quam legiſſe aſſeruit vir optimae notae, quamvis ego ejus exemplar diu quaeſitum, & optatum aſſequi adhuc non poſſim. Poſtquam Monachi defecerunt, ex illius Coenobii cenſu Canonicorum Collegium fuit conſtitutum. De dominis, qui in Prefolio caſtro dominabantur agit doctus P. Camerinius Lib. IX. P. I. hiſtoriae Camerinenſis Lilii; qui Camerinius illam, ut notum eſt, complevit; & ab ea ſcimus nobiles illos in Prefolio imperantes inter nobiles Camerinenſes Cives fuiſſe adſcriptos, & Caſtra ſua Communi Camerini ceſſiſſe. Eccleſiae Collegiatae inſerviebant quinque Canonici, & Prior, ad quem ſuas dedit Apoſtolicas litteras Innocentius IV. Lugduni Idib. Martii Pontif. anno VII. [ex tabul. V. Vir. num. 58.] ſic = *Dilectis filiis Priori S. Angeli de Prefolio Spoletanae Dioeceſis, & Archidiacono Camerini ſalutem &c.* = Canonici cum Priore curabant collegiatam Eccleſiam, eique in ſacris inſerviebant in feſtis Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, in feſto S. Angeli, & Nativitatis Domini. Singulis vero anni feſtivitatibus per turnum tenebantur opem praeſtare Priori, eumque coadjuvare. Abſentes puncto notabantur, & multa faciatio erat aſſignata. Canonici ſuos habebant titulos. Primus *S. Angeli in Valle* . 2. *S. Mariae de Prefolio*, 3. *Salvatoris* 4. . . . . 5. . . . . Hodie Canonicatus ſimplicia beneficia facta a S. Sede conferuntur. Eccleſia vero hodie dum Collegiata nuncupatur. Antiquum templum corruit, ſolumque ibi ſuperſunt quatuor marmoreae columnae, quae Cameram ſubſtinent, ſub qua Altare eſt erectum Novum S. Angeli templum conditum eſt in pago *Fiume* vulgo dictum, ubi reſidet Parochus Prioris titulo ornatus.

[2] S. Viti collegiata Eccleſia antiquae fundationis. Sita erat in Dioeceſi Spoletana in Valle S. Angeli, ubi jacebat Caſtrum Prefolium, & ab hoc diſſita vix mill. paſſ. ad ejus Occidentem. Canonicatus a S. Sede tamquam ſimplicia beneficia conferuntur.

[3] Sub Epiſcopo Attone ad annum 1218. agimus de hac Collegiata Lib. III. cap. I. num. VI.

Digitized by Google

drales Eccleſiae factae ſunt, & a Camerinenſi Paroecia abſtractae; & ſunt: Collegiata Eccleſia *S. Mariae Tolentini* in Cathedralem aſſumpta, [1] & Collegiata Eccleſia *S. Severini* in oppido *San-Severino* nuncupato [2], in quo fundata reperiebatur altera Collegiata Eccleſia *S. Benedicto* ſacra [3] jam ſuppreſſa. In Civitate etiam Tolentinate altera collegiata Eccleſia habetur ſub titulo *Sancti Jacobi*, de qua ſub Joannis Epiſcopatu ad annum 1421. cap. VI. n. VII. Lib. V. diſſerimus in noſtra Epiſcoporum ſerie. Tandem inſigne Canonicorum Collegium in Eccleſia *S. Venantii de Fabriano* a Benedicto XIII. obtinuit, ut illorum Collegiata Eccleſia Concathedralis Eccleſia cum Camerinenſi eſſet conſtituta, de qua ſub Coſmi Torellii Epiſcopatu ſermonem habemus ad annum 1728.

Florent adhuc in noſtra Dioeceſi Collegiatae Eccleſiae, & quidem inſignes; *Mathilicae* [4] *S. Geneſii* [5] *Montecchii* [6] *Caldarolae* [7] *Pyri*. [8] Habet & ſuam Eccleſiam Collegiatam oppidum *S. Anatholiae*. [9] At de his opportunus recurret ſermo in noſtra Antiſtitum chronotaxi.

§. III.

SAnctos in Patronos Civitatum & Caſtellorum eligere, mos eſt antiquiſſimus, ipſique naſcenti fidei pene coëvus. S. Auguſtinus [10] *teſtibus certis, non incertis rumoribus* fatetur ſe audiviſſe S. Felicem Nolanum Civibus ſuis apparuiſſe, quum a barbaris Nola oppugnaretur, eoſque ab illorum incurſibus liberaſſe. Lilius [11] I idip-

[1] De hac Collegiata Eccleſia agimus cap. IV. hujus diſſertationis §. II.

[2] De hac Collegiata Eccleſia pariter agimus cap. IV. hujus diſſertationis §. II.

[3] Antiquiſſimae fundationis fuit Collegium Canonicorum in Eccleſia S. Benedicti in oppido San-Severini. Canonicorum numerum aſſequi non potuimus. Erat in ea unica dignitas *Prioris* titulo decorata. Eccleſiam S. Benedicti pientiſſimè curant *Patres* Oratorii S. Philippi Nerii. Prior, cui quotannis laudati patres Canonem perſolvunt pro Eccleſia ab illis poſſeſſa, hodiè reſidet in *Caſtro S. Petri*, & in Caſtro *Inſulae*, quae a *S. Clemente* nomen habet, a San-Severino VIII. cite. mill. paſſ. diſſita, habetque unicam curam animarum, cui olim praeſidebant Monachi S. Clementis, quorum juris erat Caſtrum Inſulae, cum aliis praediis per Vallem S. Clementis ſparſis; ut propterea conjici poſſit a multiplicitate bonorum a Monachis in ea Valle poſſeſſorum *Vallis S. Clementis* fuiſſe nuncupatam. At de hac Valle alias ſermonem habuimus, & in ſerie noſtrorum Antiſtitum iterum ſermo recurret. Canonicatus S. Benedicti ſimplicia beneficia facta ſunt.

[4] Lib. IV. n. VII. in notis Cap. V.

[5] Indicem conſule ad verbum: *S. Geneſii*.

[6] Lib. VI. cap. VI. n. VI. in not.

[7] Lib. VI. cap. IV. n. VI.

[8] Lib. VI. cap. VI. n. I. in not. & num. VIII.

[9] Lib. IV. cap. VII. n. II. in notis.

[10] Cap. IV. & XVIII. Lib. de cura pro mortuis gerenda.

[11] Part. I. Lib. III. pag. 76.

Digitized by Google

idipſum Camerino eveniſſe praeſidio S. Martyris Venantii tempore Alarici Gothorum regis aſſerit. Nos forte ſub Epiſcopo *Solone* ſeculo VIII. id eveniſſe argumentamur ſub illius Epiſcopatu. Ideoque Camerinenſes Patronum ſuum ſelegerunt *Venantium*: poſt Venantium, *Anaſtaſium*, & *Porphirium*. Deinde *Leontium*, & *Anſovinum* Epiſcopos, & *Victorinum* Confeſſorem. Id forte probat perrarum Guillelmi I. Antiſtitis noſtri diploma datum anno 1264, quod habes ſub hoc anno in Appendice, quodque hanc Sanctorum Patronorum ſeriem firmat. *Leontii* memoria deperdita eſt; quod nos eveniſſe putamus ob illam efferam vaſtitatem, qua fuit Civitas Camerini ab impiis Manfredi regiis copiis miſerrimè vexata, quamvis *Leontii* ſanctitatem hoc unico documento probare poſſimus; ut fuſius diſſeremus in ſerie ubi de illius Epiſcopatu, & Sanctitate erimus acturi.

§. IV.

SUpereſt nunc, ut dignitati, & ſplendori noſtrae inſignis Eccleſiae faſtigium ponamus, indicem producere illorum heroum, qui Sanctimoniâ intra fines veteris, novaeque Camerinenſis Dioeceſeos clari peculiarem habent cultum: iis etiam compraehenſis, qui, quamvis extra Camerinenſem Dioeceſim orti, ſuis tamen exuviis hanc illuſtrant Eccleſiam. Illos vero tantum Sanctos & Beatos veneremur, quos Sancta Romana Sedes ſuis Apoſtolicis decretis, ut Sanctos & Beatos mandat eſſe venerandos: coeteris nullum profitemur velle nos cultum augere; quamvis Sancti, & Beati titulo hìc habeantur ornati.

CAMERINI.

S. Venantius Mart. Camerinenſis. [1]
S. Anaſtaſius Mart. cum XI. Sociis. [2]
S. Porphirius Mart. [3]
SS. Decem Mart. Socii S. Venantii. [4]
SS. MDXXV. Mart. [5]
S. Leontius Epiſc. & Conf. [6]
S. Anſovinus Epiſc. & Conf. [7] Camerinenſis.

S. Vi-

[1] De eo Baron. in notis ad Martirolog. Rom. die 18. Maji.

[2] Baron. ut ſupra in notis ad diem 11. Maji.

[3] Habet de hoc S. Officium Eccleſia Camer. die 4. Maji.

[4] Baron. ut ſupra die 19. Maji.

[5] Baron. ut ſupra ad diem 29. Maji.

[6] Vide quid de eo diſſeramus ſub ejus Epiſcopatu Lib. I. Cap. I. num. V.

[7] Baron. ubi ſupra ad diem 13. Martii. Bolland. act. SS. menſis Martii.

Digitized by Google

S. Victorinus Eremita Conf. [1]
B. Angelus Ord. Camaldul. Conf. [2] Camerinen.
B. Laurentius Ord. Min. [3] Camerinen.
B. Petrus Ord. Min. [4]
B. Bernardus Ord. Min. [5]
B. Joannes a Parma Ord. Min. [6]
B. Ugolinus Eremita. [7]
B. Rizerius Ord. Min. [8] Camerinen.
B. Baptista Virgo e gente Varania [9] Camerinen.
B. Atto, seu Azo discipulus S. Romualdi. [10]

FABRIANI.

S. Romualdus Abb. & Conf. [11] Ravennas.
S. Silvester Abb. & Conf. [12] Auximas.
B. Joannes Righi Conf. [13] Fabrianensis.
B. Rainerius Conf. Ord. Min. [14] Fabrianensis.
B. Franciscus Conf. Ord. Min. [15] Fabrianensis.
B. Bernardus Conf. Ord. Min. [16] Fabrianensis.

(1) De hoc Sancto agimus Lib. I. Cap. III. n. VIII.

(2) Dicitur *de aquapagana* in agro Camer. Jacobill. in Vit. SS. Umbriae Tom. 2. fol. 711.

(3) Camerinensis est: Jacob. Tom. II. fol. 155.

(4) Ortus est in oppido *Magliano* dict. Dioeces. Firmanae obiit Camerini. P. Camerinius illius acta vulgavit.

(5) De *Offida* obiit Camer. Bolland. ad SS. Tom. 1. fol. 617. Junii ad diem 6. illius mensis.

(6) Obiit Camerini. P. Camerinius ejus acta edidit.

(7) Obiit in agro Camerinensi. De eo agit Lilius Patt. II. Lib. III. fol. 106. hist. Camerin.

(8) E *Mutia* Castro in Agro Camerin. discipulus S. Franc. de eo Artur. ad diem 7. Febr. S. Antonin. 3. part. tit. 23. cap. 2. §. 3. Wading. Annal. ad ann. 1226. sub litt. R.

(9) De hac Virgine praecipua acta refert Lilius in sua hist. Camer. Part. II. Lib. VII. pag. 230, & seqq.

(10) Agit de hoc Beato Viro Jacobillus Tom. II. fol. 263. SS. de Umbria.

(11) Pater est & Fundator inclitae Congreg. Camaldulen. obiit in Valle-Castro in agro Fabriani, quo fuit ejus Corpus translatum. Acta ejus scripsit S. Petrus Damianus.

(12) Pater & Fundator Congreg. Silvestrinae nuncupat. obiit apud Fabrianum in Monte-Fano. De eo Chron. Silvestr. P. D. Sebastiani Fabrini.

(13) Nobilis Fabrianensis fuit Joannes. Obiit prope Massatium, & requiescit in Ecclesia Fr. Min. vulgo dicta l'*Eremita*, qui Ordinis S. Francisci professum volunt. Leggend. Franciscana Tom. VII. fol. 405. Monaci Camaldulenses inter suae Congregationis Alumnos illum adscribunt. Expectandum quid ad hanc controversiam dirimendam profetant doctissimi Chronistae Camaldulenses.

(14) De eo Marang. Thesaur. Paroc. Lib. II. Cap. XIV. fol. 362.

(15) Vulgo dictus = *Cicco da Fabriano* = Jacobil. Vit. SS. Umbr. Tom. II. fol. 264.

(16) Obiit Camerini. De eo Artur. & Boll. Tom. II. Augusti. fol. 2. inter praetermiss.

Digitized by Google

B. Andreas Sanctutius Conf. Ord. S. Auguſt. [1] Fabrianenſis.
B. Conſtantius Ord. Praedic. Conf. (2) Fabrianenſis.
B. Petrus Conf. Ord. S. Auguſtini (3) Fabrianenſis.
B. Julianus Conf. Ord. Min. (4) Fabrian.
B. Gratia Conf. Ord. Min. (5) Fabrian.
B. Franciſcus Conf. Ord. Min. (6) Fabrian.
B. Mauritius Conf. Ord. Min. (7)
B. Benvenutus Conf. Congr. Silveſtrinae. (8)
B. Laurentius Conf. Ord. Min. (9) Fabrian.
B. Vincentius Conf. Ord. Min. (10) Fabrian.
B. Ugolinus, & B. Jacobus } Conf. Ord. Min. (11) Fabrian.
B. Bonaventura Conf. Ord. Min. (12) Fabrian.
B. Antonius Eremita Conf. (13)
B. Joannes *a Baculo* Conf. Congr. Silveſt. (14)
B. Jacobus Cong. Silveſt. Conf. (15) Fabrian.
B. Bartholus Abb. Cong. Silveſt. Conf. (16)
B. Joannes Solitarius Cong. Silveſt. Conf. (17)

SAN-

(1) De eo Torellus cent. III. fol. 218. Elſius Encom. Auguſt. fol. 53.

(2) Obiit Aſculi. Marcheſ. in Diar. Dom. Tom. I. fol. 216. Andreantonellius hiſt. Aſcul. Lib. IV. fol. 108.

(3) E praeclariſſima Becchetta gente. Torell. cent. III. fol. 298. Elſius ubi ſupra fol. 566.

(4) De eo Arturus ad diem 26. Jul. Bollan. tom. VI. Julii fol. 231.

(5) Artur. & Bolland. ad diem 2. Aug. inter praetermiſſ.

(6) Vulgo dictus = *dalla libra* = Bolland. ad diem 6. Auguſt. Tom. II. fol. 123.

(7) De Argignano pago Fabrianenſi prius Canonicus S. Venantii Fabriani Wading. anno 1263. num. 20.

(8) De Peticchio Caſtro Rocchae-contradae Senogall. Dioec. obiit in Monte-fano anno 1273. Chron. Silveſt. Fabrini cap. V. pag. 142.

(9) Artur. & Bolland. Tom. III. Aug. ad diem 14. Aug. fol. 148.

(10) Artur. & Bolland. inter praetermiſſ. Tom. II. ad diem 6. Maji fol. 98.

(11) Artur. & Bolland. Tom. II. ad diem 11. Maji fol. 654.

(12) Artur. & Bolland. Tom. V. ad diem 20. Maji fol. 17. inter praetermiſſ.

(13) Apud Fabrianum vixit. De eo Bolland. inter praetermiſſ. ad diem 7. Aug. Tom. II. fol. 183.

(14) Ortum habuit apud Paternum pagum in agro Fabriani in Chron. Silveſtr. fol. 89.

[15] Fabrin. in Chron. ſupradict. fol. 150.

[16] Filius fuit Thebaldi de Cingulo, & III. prior Generalis totius Congregationis Silveſtrinae obiit Viterbii anno 1298; ejuſque corpus fuit translatum ad Montem-fanum Fabriani. De eo agit Fabrin. ubi ſupra fol. 147.

[17] Obiit in Monte-fano Fabriani. Fabrin. ubi ſupra fol. 143.

Digitized by Google

SAN-SEVERINI.

S. Severinus Epiſc. Septempedanus, & Conf. (1)
S. Victorinus Epiſc. Amiterni & Conf. (2) Septemped.
S. Illuminatus Ord. S. Benedicti Conf. (3) Septemped.
S. Philomena Virgo (4) Septempedana.
SS. Hippolitus & Juſtinus MM. (5)
B. Jacobus Ord. Cruciferor. Conf. (6) San-Severinas.
S. Margarita Vidua (7) San-Sever.
B. Marſilia Pupilli 3. Ord. S. Auguſt. (8) San-Sev.
B. Marcheſina Lutii Ord. S. Auguſt. (9) San-Sev.
B. Angela Ord. S. Dominici (10) San-Sev.
B. Bentivolius Ord. Min. Conf. (11) San-Sev.
B. Maſſeus Ord. Min. Conf. (12) San-Sev.
B. Dominicus Ord. Min. Conf. (13) San-Sev.
B. Petrus Ord. Min. Conf. (14) San-Sev.
B. Pacificus Ord. Min. Conf. (15) San-Sev.
B. Pellegrinus Ord. Min. Conf. (16)

B. Pau-

[1] De eo Ado in Martyrolog. ad diem 8. Jan. Baron. in notis Martyrologii ad d. diem Bolland. Act. SS. Jan. ad d. diem.

[2] Ado in Martyrolog. ad diem 5. Septemb. ejus acta confundens cum actis Sancti Victorini Mart. SS. Maronis, & Eutychetis Socii. Baron. in notis ad Martyrolog. Roman. ad diem 8. Junii. Fuit Victorinus frater germanus S. Severini Epiſc. Septemp.

[3] De eo novum Martyrolog. Rom. Bolland. ad diem 11. Maji fol. 706.

(4) Martyrolog. Rom. ad diem 5. Julii Bolland. Tom. II. Jul. fol. 229.

(5) Horum Martyrum corpora requieſcunt in Eccleſia S. Laurentii in Doliolo San-Severini. Bolland. ad diem 4. Junii Tom. II. fol. 429.

(6) Forte Jacobus iſte ille fuit, ſelectus Epiſcopus Sarſanenſis anno 1357; fuitque prius ſui Ordinis Generalis Pater. Poſt annum ſui Epiſcopatus illum, ut Deo tutius inſerviret, ſponte dimiſit ex Ughellio Ital. Sac. Tom. II. col. 6. num. XXXIII. Clarus virtutibus apud ſuos veneratur.

(7) De ea novum Martyrolog. Roman. ad diem 27. Aug. Bolland. Tom. II. aug. ad dictam diem.

(8) Habet hæc cultum immémorabilem apud San-Severinates. Obiit anno 1298. Elſius encom. Aug. fol. 467.

[9] Elſius ubi ſupra litt. M. Torellus Cent. v. fol. 603.

(10) De ea P. Jo: Michael Pius in act. Viror. illuſtr. Ord. Part. II. Lib. I. fol. 109.

[11] Wading. Annal. ad ann. 1232. n. 20, & 21.

[12] De eo Jo: Marang. Theſaur. Paroc. Tom. I. fol. 346.

[13] *A Leoniſſa* nuncupatur Beatus Dominicus obiit Urbini. De eo Boll. Tom. II. Aprilis ſub die 2. fol. 833. Jo: Severanus in pretioſ. mort. juſt. fol. 176.

[14] Wading. Annal. ad ann. 1507, quo obiit num. 32. Severan. ubi ſupra fol. 439.

[15] De eo Bolland. Tom. III. Julii ad diem 10.

[16] Falleroni, (Caſtrum eſt e Fallerse ruinis ortum) in Dioceſi Firmana natus eſt B. Pellegrinus. Obiit San-Severini: requieſcit in Eccleſia Fr. Min. Conventualium. De eo Arturus in Martyrolog. ad diem 5. Septembr.

Digitized by Google

B. Paulus *da Levante* nuncup. Ord. Min. Conf. (1)
B. Camilla Gentilis Matrona San-Sev. (2)
S. Dominicus Loricatus Avellan. Eremita. (3)

TOLLENTINI.

S. Catervus Civitatis protector cum Sociis MM. (4)
S. Nicolaus Tollentinas dictus Ord. S. Aug. Conf. (5)
B. Thomas Ord. Min. Conf. (6) Tollentinas.
B. Joannes Ord. S. Aug. Conf. (7) Tollentinas.
B. Martinus Ord. . . . . Conf. (8) Tollentinas.
B. Joannes Ord. S. Aug. Conf. (9) Tollentinas.

MATHILICAE.

B. Gentilis Ord. Min. Martyr. (10) Mathilic.
B. Sollicitus Ord. Cruciferor. Conf. (11)

(1) Obiit San-Severini, & requieſcit in Monaſterio SS. Trinitatis. Arturus ubi ſupra pag. 614. Wading. ad annum 1495, qui fuit illius annus emortualis.

[2] Habet haec beata Matrona cultum immemorabilem ſententia R. P. D. Dionyſii Pieragoſtini Epiſcopi San-Severini probatum anno 1736. illamque damus in Appendice documentorum. Requieſcit Veu. Corpus in Eccleſia S. Dominici extra moenia Civitatis.

[3] Obiit ad radices Suavicini montis in Dioeceſi San-Severini. Anno 1060. De eo agit S. Petrus Damianus in ſuis opuſculis. Baron. in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 14. Oct. qui fuit illius dies emortualis. Acta hujus S. Viti a me vulgata ſunt anno 1749. Illius Corpus requieſcit, ubi obiit, in Eccleſia SS. Trinitatis.

(4) Hujus S. Martyris & Sociorum ſcripſit acta P. D. Ubaldus Marionus Can. Lateranen. cl. Boldettus in ſuis animadverſ. ad Coemeteria lib. 1. cap. 24. fol. 115. illorum acta vindicare contendit a cenſuris celebertimi P. Mabillonii. Neſcio quo felici ſucceſſu.

[5] Hic eſt celeberrimus *Nicolaus* natus in Oppido S. Angeli in Piceno, qui B. Maſupremum obiit diem Tollentini anno 1306. De eo Baron. in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 10. Septemb.

[6] De eo Bolland. ad diem primam April. Tom. 1. fol. 50.

[7] Torell. cent. III. fol. 278. Elſius ubi ſupra fol. 403.

[8] Bolland. ad diem primam Maji inter praetermiſs.

[9] Forte alter eſt ab illo ſuperius nominato pariter Tollentinate. Obiit hic beatus anno 1389. Elſius ubi ſupra fol. 368.

[10] Leggend. Franciſc. Tom. IX. fol. 83. E Finagueria gente inter Mathilicanas illuſtri, Martyr occubuit die V. Septemb. 1340.

[11] Bolland. 6. die Martii Tom. I. fol. 498. Ferrarius in Cathalogo SS. Italiae haec habet = *B. Sollicitus qui apud Crucigeros vitae Sanctitate floruit, veneretionem habet, cujus nomine ſacra aedes apud Matelicates extructa eſt &c.* = Ita Ferrarius, qui Sollicitum recolit etiam in cathalogo generali. Parvula aedes B. Sollicito ſacra hodiedum extra portam Civitatis, quâ Fabrianum progredimur, exiſtit. Ibi Corpus beati Viti requieſcere fama eſt apud Mathilicanos. Sub illius aedis ara fuit capſula repetta fericis tegumentis in-

Digitized by Google

B. Mathia Virgo Ordinis S. Benedicti (1) Mathil.

SAN-GENESII.

S. Liberatus Ord. Min. Conf. (2) a Lauro.
BB. Umilis & Pacificus Ord. Min. (3)

MONTECCHII.

B. Petrus Ord. Min. Conf. (4)

SARNANI.

P. F. Jacobus Ord. Min. Reformat. Mart. (5) Sarnanen.

CALDAROLAE.

B. Franciscus Ord. Min. Conf. (6) Caldarol.

SERRAE SAN-QUIRICI.

B. Ugo Ord. S. Silvestri Conf. (7) e Serra San-Quirico.
B. Joseph ex eodem Ordine Conf. (8) e Serra San-Quir.

BELFORTI.

B. Guardatus Ord. S. Hieron. Conf. (9) de Visso.

AT-

intus cooperta; & in ea ossa utique alicujus Sancti Viri fericis pannis pariter involuta. An Beati Solliciti sint illae exuviae, ignoratur. Nulla enim monumenta in Capsula reperta sunt, ad veritatem assequendam.

(1) Luculenter de hac admirabili Virgine agimus in serie Capite ultimo Lib. VI.

[2] Ejus cultum adprobavit S. R. C. anno 1713. de ea agit Benedictus XIV. de Serv. Dei Beat. Tom II. Lib. I. §. 35. primae edit.. Vide sub Episc. Bernardino Bellutio.

[3] Bolland. ad diem 26. Aug. Tom. V. fol. 840.

[4] Corpus B. Petri colitur Siroli Humanae Dioec. obiit die 16. Febr. anni 1304.

Legg. Francisc. Tom. II. fol. 285. Gonzag. part. 2.

(5) Martyr occubuit die 28. Februar. ann. 1648. Legg. Francisc. P. Mazzari Tomo II. fol. 429.

(6) Obiit in Monasterio Colfani in nostra Dioec. ann. 1507. Jacobill. de SS. Umbr. Tom. II. fol. 58. Legg. Francisc. Tom. II. fol. 140.

[7] Fabrinus in Chronic. Silvestr. fol. 124.

[8] Fuit germanus frater B. Ugonis. De eo in laudat. Chron. Silvest. fol. 145.

[9] Hunc recolit P. Benvenutus Monac. Silvestr. in historia SS. Protectorum & Beatorum Recinensium. Patria fuit Vissanus.

Digitized by Google

ATTIDII.

B. Jacobus Ord. S. Silveſtri Conf. (1) Attid.

ALBACINAE.

S. Venantius Epiſcopus, & Conf. (2)

COLLIS AMATI.

B. Joſeph Ord. Min. Conf. (3) e Colleamato.

MONTIS-MILONIS.

B. Ambroſius Ord. S. Auguſt. (4) e Monte-Mil.
S. Amicus Abb. Ord. S. Bened. Conf. (5)

nus in Spoletana Dioec. Obiit in Suburbiis Belfortii, cum per ea forte tranſiret anno 1425; & quotannis in hoc oppido feſtus habetur dies 27. Jan.

(1) De illo agit Fabrinus in Chronic. Silveſtr. fol. 151.

[2] In Caſtro Albacinae Fabrianenſis agri, & Dioec. Corpus S. Venantii quieſcit. De eo longam diſſertationem habes in ſerie Epiſcoporum noſtrorum ad ſeculum XII.

[3] Obiit Foroſempronii anno 1557. Arturus & Bolland. ad diem 28. Junii Tomo v. fol. 354. inter praetermiſſos.

[4] Elſius in Encom. Auguſt. fol. 45.

[5] In Agro Montis-Milonis in Coenobio Rambonenſi S. Amici Abb. Corpus requieſcit. De eo agimus in ſerie Epiſcoporum. Indicem conſule.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

DE PRIMIS CAMERINENSIS ECCLESIAE EPISCOPIS

CAPUT I.

De Leontii Epiſcopatu, & Sanctitate, & de cultu Sancti Venantii.

I. Primus Epiſcopus Camerinenſis, juxta Ughellium, quem ſequimur, fuit Leontius.
II. Forte fuit Epiſcopus Apoſtolicus, ſive regionarius.
III. Acta Leontii *a Jacobillio producta fabuloſa.*
IV. Non fuit ordinatus a S. Cornelio Pp.
V. Leontius *probatur Sanctus, & Camerini olim veneratus.*
VI. Sancti, *&* Sanctiſſimi *titulus dabatur Epiſcopis primis Eccleſiae ſeculis; non propterea inter divos ſunt adſcribendi, niſi probetur immemorabilis cultus.*
VII. S. Venantii *probatur cultus ante vaſtitatem Camerini factam ſeculo XIII.*
VIII. Ante etiam XIII. ſeculum Camerini veneratus eſt.
IX. Conjicitur S. Venantii *cultus ante IX. ſeculum.*
X. Emortualis S. Leontii *dies argumentatur.*

I.

Rimum Camerinenſis Eccleſiae Antiſtitem, auctoritate actorum ſancti Venantii martyris praecipui Camerinenſium, totiuſque dioeceſis Patroni Ughellius ponit *Leontium* ante medium III. ſeculum, quem acta illa faciunt ſancto Martyri coaevum. Nos, qui non ignoramus difficultates contra haec acta ab Eccleſiaſticae hiſtoriae Scriptoribus [1] propoſitas, & prae omnibus a Ven. Card. Baronio, [2] qui fatetur acta S. Venantii *ob nimiam antiquitatem non modica indigere caſtigatione*, deberemus illa a cenſuris vindicare, veraeque lectioni reſtituere: Quum vero in hac opella mea officio fungar hiſtorici non diſceptatoris, ultro hanc provinciam doctis Camerinenſibus

K

(1) Act. SS. menſ. Maji Tom. IV. in notas ad act. S. Ven. n. VII. Tillemon. art. II. t. Caſſien. Tom. V. pag. 534.
(2) Ad not. Martyrol. die 18. Maji.

Digitized by Google

sibus cedimus: & interim nos seriem persequentes Ughellianam primum nostrae Ecclesiae Antistitem signamus *Leontium*, ne gravissimae Camerinensis Ecclesiae traditioni maximi semper habendae adversemur.

II. Id unum animadvertere juvat, *Leontium* si medio circiter III. seculo Camerini Antistes fuit, potius, quam inter Episcopos Cardinales, fore adnumerandum inter apostolicos, qui per illas montuosas Umbriae partes Camerino proximas Fidem catholicam disseminaret, vallemque etiam Mathilicanam excurreret sanctificandam. Hic sane character erat illorum Episcoporum circa medium III. seculum a R. Pontificibus missorum ad illustriores Provinciarum civitates, qualis erat in Umbria *Camerinum*, quemadmodum cap. II. §. I. Dissertationis praeliminaris diximus. Si vero *Leontium* velimus figere Episcopum labente III. seculo, & post datam a M. Constantino Ecclesiae pacem, nil obest, quin illum adnumeremus inter Episcopos Cardinales.

III. Jacobillius [1] nostri *Leontii* acta profert somniis, fabellisque conspersa, quorum summa haec est: *Leontius fuit nobilis Romanus ex ordine Senatorio. Studio S. Venantii cum 31. suis sociis nobilibus ex eodem Ordine Romanis ad Fidem catholicam traductus fuit*: Nulla profert documenta ad hoc probandum: *Romam reversus a S. Cornelio R. Pont. anno 253. primus Camerinensis Ecclesiae, & Civitatis fuit Episcopus ordinatus* = pessimè chronologiam Jacobillius disponit, ut mox videbimus, & pessimè prosequitur = *Vix Camerinum reversus suae Cathedralis Archidiaconum ordinavit Euprepium unum ex sociis, & concivibus suis. Templum erexit S. Venantio sacrum, quo transtulit Corpora illius S. Martyris, ejusque sociorum. Camerino Antiochum praefectum, & tyrannum ejecit* [mira potentia!] *& circa annum 255. sanctissime obiit* = Nec vero finem habent hic commentitiae Jacobillii fabulae. Sequitur = *Successor in Episcopatu Leontii fuit archidiaconus Euprepius: deinde non interrupta serie post Euprepium Episcopatum Camerinensem tenuerunt Antimus, Xystus, Paternianus, Pastor, Hieronymus, Evester, Elearanus, Leo, Constantinus, Miniatus, Eleasius, Donatellus, Agarius, & Metro, seu Metropos.* = At, quomodo id probat Jacobillius? Fide actorum S. Venantii. Quid vero in illis habemus? En: memoratis illorum singulis nominibus, acta habent = *Instituti Clerici fuerunt, & vitam sanctorum duxerunt, & per illos ostendit Dominus signa in vita ipsorum* = Ubi nam hic Episcopalis honor viris illis donatus! ubi concatenata illorum in Episcopatu successio? Legimus tantum illos fuisse Clericos institutos, non Episcopos,

[1] Tom. III. de' SS. dell'Umbria pag. 160.

pos, & Sanctorum vitam duxiſſe miraculis inſignes. Non legimus parum illos in Epiſcopatu vixiſſe, ut aſſerit etiam Jacobillius, & Epiſcopos obiiſſe. Quid ergo profert Jacobillius? fabulas.

IV. Aſſerit etiam Scriptor iſte *Leontium* ordinatum Epiſcopum a S. Cornelio anno 253. ſed Cornelius deceſſit die 24. Septembris anno 252, & in Petri cathedra anno 253. ſedebat S. Stephanus, ut videre eſt apud Pagium (1), & Pontifex iſte ſaeviente tunc in Chriſti fideles Valeriani perſecutione, in cryptis, & coemeteriis occultus latebat, ibique capitis obtruncatione Martyrium conſummavit. Quomodo ergo *Leontius* in hiſce Eccleſiae calamitatibus, quas Camerini etiam Chriſtifideles ſuſtinebant, ſumma pace, & palam poterat regere plebem ſuam, catholicam Fidem fovere, templa vero Deo ſacra a fundamentis excitare, tantaque auctoritate pollere, ut Antiochum Civitatis praeſidem abire compulerit; & interim ipſe in lectulo ſuo placidiſſime obire? Quomodo inſuper Camerinenſis Eccleſia potuit habere continuatos poſt *Leontium* in cathedra XVII. ſucceſſores; quando pleraeque per Italiam, & quidem perilluſtres Eccleſiae neque III. ſeculo, neque ante medium IV. ſeculum poſſunt tuto ſuſtinere Epiſcopum unum, & multo minus illam non interruptam Epiſcoporum catenam? Quis quaeſo non intelligit Jacobillii ſcripta vera eſſe commenta? Demum quid ſentiendum eſt de Leontii Clero? [2] Quid de Archiepiſcopali honore, quo *Leontius* effingitur inſignitus? (3) Quid de Archidiacono Euprepio? Quid de

[1] Brev. Actor. R. Pont. ad ann. 251. n. III, & ann. 253. n. 1.

(2) Hunc Clerum P. Camerinius in ſuis additionibus ad Libr. II. part. I. Lilii Camerinenſis hiſtoriae concedit potius *Gerontio*, quam *Leontio*, & quidem ſaniori conſilio.

[3] Exhibet Ughellius ectypon aurei numiſmatis cum effigie *S. Anſovini*, videturque Sanctus Pontifex Atchiepiſcopali pallio ornatus, quod forte anſam praebuit Ferrario in catalogo Sanctorum Italiae Camerinenſes Antiſtites Archiepiſcopos nuncupandi, quemadmodum in actis S. Venantii Archiepiſcopus vocatur *Leontius*. Sed ad hunc errorem diluendum, legendus eſt doctiſſimus Abbas Sartius in diſſert. de Caſula diptyca (cap. III. §. XI. pag. 30, & 31.) Lilius in ſua hiſtoria (P. I. Lib. III. pag. 89.) librato judicio Camerinenſes Epiſcopos non Metropolitanos, ſed quaſi Metropolitanos appellat. Accipe quod ad me ſcripſit die 14. Jan. 1755. immortalis mem. Card. Entiquez. *Intorno al pallio, che ſi vede nelle recenti monete di Camerino, che diede occaſione a quell'altra più ſonora favola del titolo di Arcivescovo, crederei, che dir ſi doveſſe qualche coſetta, e la lamina di S. Leopardo fattura aſſai più antica* (lamina haec argentea habetur in libro inſcripto = *Memorie di S. Leopardo Veſcovo di Oſimo* = auctore Abb. Dominico Pannellio a Secretis tunc noſtri Entiquez) *dimoſtra che gli antichi Veſcovi portavano un inſegna ſimile al Pallio, ma Pallio non era. Diſſe il celebre Melchior Cano. Non eget Petrus mendacio noſtro, adulatione non eget. Queſto colla debita proporzione potrebbe dirſi della Chieſa di Camerino, che non ha biſogno di favole, o di prerogative dubbioſe per comparire tralle più illuſtri d'Italia, anzi della Criſtianità. Et de hoc ſatis.*

Digitized by Google

amplitudine per haec tempora Camerinenſis Dioeceſeos? Sunt omnia haec fabulis, ſomniis, & viſionibus ſimillima.

V. Quod vero de noſtro *Leontio* eſſet perpendendum ad majus noſtrae Eccleſiae decus & ornamentum illud in primis foret, Antiſtitem iſtum inter ſanctos forſan eſſe habendum, quemadmodum medio XIII. ſeculo habebatur, illique propterea cultum fore reſtituendum. (1) In ſerie documentorum, quae in Appendice damus, perrarum Guillelmi Antiſtitis noſtris diploma, proferimus ad annum 1254, in quo haec habentur: *Si quis autem haec aptentare praeſumſerit indignationem omnipotentis Dei, Beatorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli, SS. Martyrum Venantii, Anaſtaſii, Porfirii, & Sociorum, & Beatorum Confeſſorum Leontii, & Anſovini Pontificum, & Victorini, & Sociorum ipſorum, & noſtram ſe noverit incurſurum*: Nil optari poteſt luculentius ad aſſerendum *Leontium Sancti* charactere inſignitum, quod illi, quamvis hodie in Camerinenſi Eccleſia novum, non videtur denegandum; quodque iiſdem plane argumentis firmatur, queis Epiſcopalem dignitatem illi ſuſtinemus; actorum nempe auctoritate S. Venantii, in quibus aperto legimus *Leontium*, Clerumque ſuum *Vitam Sanctorum duxiſſe, & per ipſos oſtendiſſe Dominum ſigna in vita ipſorum*, & traditionis adeo inſignis Eccleſiae, qualis ſemper fuit Eccleſia Camerinenſis; quae omnia a laudato Guillelmi diplomate ſunt comprobata, quo *Leontius* Epiſcopus, & Sanctus declaratur aeque ac *Anſovinus*. Immo *Leontii* nomen praeponitur nomini *Anſovini*, & inſeritur in illis obteſtationibus, quas olim Epiſcopi in ſuis diplomatibus uſurpabant. Hoc documentum unicum ſane eſt; nec in ullo alio praedeceſſorum Guillelmi Epiſcoporum, neque Succeſſorum, immo neque in aliis ipſiuſ-met Guillelmi diplomatibus reperitur nomen *Leontii*: & hac ratione poſſumus ſuſpicari mendum irrepſiſſe in illo diplomate culpa forſan ſcriptoris, qui pro ingenio ſuo *Leontii* nomen intruſerit in diplomate, illumque Sanctum dixerit. Videtur tamen haec ſuſpicio a gravitate negocii, quod in laudata charta continetur, & ab aliis circumſtantiis penitus for-

(1) Mos iſte non eſt utique novus in Dei Eccleſia. Poppo ille celebertimus Abbas Monaſterii Stabulenſis, qui ſeculo XI. mira floruit ſanctitate, in Martyrologium a Baronio relatus eſt ad diem XXV. Januarii, poſtquam eximia illius acta collegit; cultumque tunc habere coepit. Benedictus XIV. P. O. M. in reformato noviſſimo Romano Martyrologio idipſum profequutus eſt, & ſacris faſtis reſtituit Siricium Rom. Pont. quem tali honore dignum putavit ob praeclara illius ſanctitatis monumenta, quae in doctiſſima ſua decretali Conſtitutione luculentiſſimè collegit. Clariſs. Canonicus Mazocchius in votis habuit, ut inter Sanctos recenſeretur Paulus primus Eccleſiae Neapolitanae antiſtes, quia in marmoreo ſuo Kalendario Neapolitano ſancti nomine Paulum reperit ſignatum; & propterea jam pridem publico cultu venerarum; ut *Leontio* noſtro eveniſſe probare ſtudemus.

Digitized by Google

forsan excluſa. Ibi enim agitur de unione plebis Attidiatis cum canonica S. Venantii de Fabriano, & de translatione ad hanc fontis baptiſmalis Attidii; quod erat jus valde honorificum plebano Attidiati. Non eſt propterea credibile illud diploma ab Epiſcopo, totoque Camerinenſi Capitulo obſignato, ſigno ejuſdem Epiſcopi firmato, praeſente, & aſſentiente Dopno Nicolao Plebano plebis Attidii exarato ſub omnium oculis non extitiſſe, nec ab omnibus attente fuiſſe perlectum: itaut ſi *Leontius* ut Sanctus non fuiſſet habitus aeque ac *Anſovinus* non ſuſtinuiſſent neque Epiſcopus, neque Clerus in illo ſubſcripti, ut nomen *Leontii Sancti* titulo eſſet inſertum, & multo minus praepoſitum *Anſovino* Civitatis utique patrono. Crederem propterea hoc documentum, quamvis unicum, ſufficere ad *Sancti* nomen *Leontio* ſuſtinendum, *Leontium* inter Sanctos Epiſcopos Camerinenſis Eccleſiae reſtituendum, illiuſque immemorabilem cultum Camerini probandum.

VI. Neque vero *Leontius* ex illis Sanctis eſt, qui *Sancti*, & *Sanctiſſimi* titulo ſignati reperiuntur, quia ſolum in ſacris diptychis communi primorum ſeculorum uſu ſic nominabantur Epiſcopi, de quibus percelebris eſt doctrina Papebrochii (1) quae talis eſt: *Sicut autem inſcripti diptychis Epiſcopi communi ſeculorum primorum uſu Sancti, & Sanctiſſimi nominabantur: nam & viventibus dabatur hic titulus: Hinc factum eſt etiam poſtquam vocum iſtarum notionem conſuetudo Eccleſiaſtica reſtrinxit ad eos, qui propter notiſſimam vitae ſanctitatem, & miracula inſignia, aut martyrii lauream invocantur a fidelibus tamquam citra dubium ullum coeleſti regno recepti; hinc factum, inquam, tali uſu eſt, praeſertim in Eccleſiis Italiae antiquioribus, ut omnes fere illarum Epiſcopi, qui in communione catholica obierunt per tria, quatuor, & plura ſecula cenſeantur cathalogo Sanctorum adſcripti, ſive canonizati*: ideoque non ſunt tam facile Epiſcopi hoc titulo *Sancti*, & *Sanctiſſimi* decorati ſacro cultui donandi, niſi alias conſtet de immemorabili cultu illis praeſtito: alias in immenſum creſceret catalogus Sanctorum Epiſcoporum qui tales revera non ſunt; & *Sancti*, & *Sanctiſſimi* titulus datus illis ad honorem tranſiret attributus ad meritum: quum hodie *Sancti* nuncupentur tantum ii, qui, probatis illorum virtutibus, & miraculis, Romani Pontificis oraculo Sanctorum faſtis adſcripti ſunt. Hac praeclara Papebrochii doctrina, ſicuti nos *Sancti* titulum tribuere nequimus ſingulis Epiſcopis *Sancti*, & *Sanctiſſimi* per tria, quatuor, & plura ſecula titulo decoratis, niſi alias conſtet de cultu illis ab Eccleſia praeſtito; ſic *Leontio* noſtro *Sancti* titulus negandus non videtur, quum documentum clariſſimum ha-

(1) Papebr. Exeg. de Epiſ. Mediol. Par. 1. ſub init. extat in act. SS. Tom. VI. menſ. Maji.

habeamus in Camerinenſi Eccleſia ad ejus ſanctitatem, *illiuſque* cultum ſuſtinendum, videturque ſufficere unicum illud Guillelmi diploma, quo a quibuſdam aliis Sanctis Epiſcopis ad honorem ſic vocatis, & forte ea tantum ratione a Papebrochio producta, *Leontius* ſecernitur. Ab actis enim S. Venantii illius ſanctitas perſpecta ſatis eſt, cultumque illi ab Eccleſia Camerinenſi exhibitum liquidius Guillelmi diploma teſtatur, & probat. Lilius in ſua hiſtoria (1) ad confirmandum S. Victorinum fratrem S. Severini Epiſcopi Septempedani Epiſcopum Camerinenſem, inter alia monumenta, quae ad ſuam ſententiam tuendam profert, eſt Crux quaedam in Sacello Sancti Venantii ſervata, ubi expreſſae videntur duae Epiſcoporum imagines ſane Camerinenſium; unamque affirmat eſſe *S. Auſovini*, alteram *S. Victorini*, quem, quum nos e Camerinenſium Epiſcoporum albo tollamus, conjicere non dubitamus imaginem alteram eſſe *S. Leontii*, Epiſcopi Camerinenſis, & Epiſcopi Sancti.

VII. At non hic habent finem emolumenta, quae ab inſigni illo Guillelmi diplomate Camerinenſis Eccleſia reportat. Quod uſque adhuc de aera cultus S. Venantio a Camerinenſibus praeſtiti nonnulli dubitabant, alii aſſerentes ante milleſimum annum aerae vulgaris etiam apud Camerinenſes Venantium penitus fuiſſe ignotum: alii etiam dictitantes nonniſi poſt S. Venantii corporis ab Apulia Camerinum translationem anno nempe 1268. cultum erga illum S. Martyrem tuto poſſe probari, auctoritate tanti diplomatis omnes nimis religioſè cultum illum impugnantes omnino obmuteſcent: quum ab eo certiores reddamur S. Venantium a Camerinenſibus fuiſſe longe ante Sacri Corporis raptum veneratione proſequutum; &, quod majus eſt, veneratum tamquam principem Civitatis Patronum. Repetamus hic perpauca diplomatis verba ſuperius data: *Si quis autem &c. indignationem omnipotentis Dei &c. beatorumque Apoſtolorum Petri & Pauli SS. Martyrum Venantii, Anaſtaſii &c.* Tempus quo fuit diploma datum eſt annus 1254. tempus, quo fuit vaſtata Civitas Camerini, fueruntque rapta S. Venantii Lypſana fuit annus 1259. tempore Alexandri IV. (2) Si ergo S. Venantii cultus fuiſſet apud Camerinenſes ignotus ante annum 1259, Guillelmus in ſuo diplomate non memoraſſet Venantium anno 1254, quinque ſcilicet annos ante, quam illius ſacrae exuviae in Apuliam transferrentur; immo neque in altero diplomate ejuſdem Guillelmi expedito anno 1252, in quo S. Venantius memoratur, quodque refert Lilius (3) obtruncatum, noſque integrum in Appendice damus, neque in altero *Philippi* expedito anno

(1) Part. 1. Lib. III. pag. 99. 3c. e ſeguenti.
(2) Lil. iſt. di Cam. P. II. Lib. 1. pag. (3) Part. 1. Lib. III. pag. 98.

Digitized by Google

no 1242, & in Appendice producto. Ab illis ergo diplomatibus luce clarius patet S. Venantium fuisse Camerini publicè veneratum, nec tantum veneratum, sed principem Camerini Patronum selectum ante annos 1242 1252, & 1254, si post nomina SS. Apostolorum Petri, & Pauli S. Martyris Venantii nomen occurrit.

VIII. Neque vero ad confirmandum cultum S. Venantio Camerini, & in ejus Dioecesi praestitam longe etiam ante XIII. seculum argumenta deficiunt. Innocentius III. anno sui Pontificatus III. suis Apostolicis litteris, in Appendice relatis ad annum 1198, datis favore Monachorum S. Michaelis infra ostia, illis Monachis Ecclesiam confirmat *S. Venantii de Corie*. Ecce seculo XII. *S. Venantii* cultum in agro S. Anatoliae, in quo jacebat Coenobium illud in Camerinensi Dioecesi, jam propagatum, & ad S. Martyris honorem templum erectum. Sub Episcopo Attone II. florente sub initio XIII. seculi documentum producimus, quo Atto sub sua tutela recipit plebem Castri Bovelliani, illiusque plebis privilegia confirmat anno 1218: & in illo diplomate legimus inter testes *Mattheum priorem S. Venantii*, *& Moricum*, *& Mattheum Canonicos* ejusdem Ecclesiae; quo aperte comprahendimus sub initio ejusdem seculi XIII. fuisse jam Camerini Ecclesiam S. Venantio sacram erectam, in eaque canonicam constitutam. Insuper in eodem privilegio plebi Bovellianae numerantur subjectae inter alias duae Ecclesiae *S. Venantio* sacrae; altera *SS. Venantii*, *& Silvestri de Gagliole*; altera *S. Venantii de Cese*: ita ut his argumentis dubitari haud amplius possit de cultu *S. Venantio* a Camerinensibus praestito, & in Dioecesi seculo XII, & forsan prius propagato; quum Atto Episcopus anno 1218. illo diplomate non conferat, sed confirmet, instante Plebano, privilegia Ecclesiae suae jam pridem concessa. (1)

IX. Hoc posito: quo nam tempore talis cultus Camerini inceperit, quaerendum supereſt: & post *S. Venantii* passionem opera *S. Leontii* initium habuisse conjicimus. Ante S. Ansovini tempora, qui

(1) Posset aliquis suspicari Ecclesias supra commemoratas alteri *S. Venantio*, non martyri, qualis est Camerinensis, forte fuisse consecratas: quum in iis documentis *Venantius* martyris titulo non sit distinctus. Huic tamen objectioni crederem satis forte faciendum perspectis tot schedis, quas in Appendice documentorum proferimus, in quibus tot Sancti memorantur, sub quorum invocatione templa erant erecta, & in nullis ex iis neque Episcopi, neque Martyris, neque Confessoris character Sancti illi habentur distincti. Quum vero Camerini, in ejus agro, & dioecesi sitae sint Ecclesiae S. Venantio sacrae, rationabilius Ecclesiae illae habendae sunt erectae Venantio Martyri Camerinensi, quam alteri extraneo. Habemus diploma Philippi expeditum anno 1242. & in Appendice productum, in quo memorantur *Venantius*, *Victorinus*, *& Ansovinus* nullo charactere signati: & tamen quis negabit Venantium illum esse Martyrem Camerinensem?

Digitized by Google

qui in Cathedra Camerinenſi floruit circa annum 850, ut infra dicemus, *Leontius* tenuit Epiſcopatum: a diplomate enim Guillelmi id forte aſſerere poſſumus; nam inibi memorato *S. Venantio*, ejuſque ſociis legimus praepoſitum S. Anſovino *S. Leontium* ſic = *& beatorum Confeſſorum Leontii, & Anſovini Pontificum* = Si ergo Anſovinus floruit circa medium IX. ſeculum, & *Leontius* praeceſſit Epiſcopatum Anſovini, cultus S. Venantii praeceſſit Epiſcopatum S. Anſovini; ſi verum eſt, quod *Leontius* cultum dederit S. Venantio; & ſi *Leontii* nomen, quod in laudato diplomate praeit nomini S. Anſovini, argumentum ad hoc probandum ſufficiens cenſeatur. Legitur enim in diplomate *Philippi* noſtri Epiſcopi dato Camerini III. non. Aprilis Indict. XV; & refertur ad annum 1242. praepoſitum etiam Anſovino nomen *Victorini* ſic = *Venantii*, *Victorini*, *Anſuini* =

X. Supereſt nunc aliquid de emortuali S. Leontii die diſſerere. In illo Calendario a cl. Abb. Sartio (1) in ſuis Epiſcopis Eugubinis edito Fabrianenſi II. ab illo nuncupato XIV. Kal. Dec. habetur = *Leontii & Sociorum ejus Confeſſ.*: = Hoc Calendarium praefert antiquitatem XIV. ſeculi, & eſt affixum breviario ad ritum diſpoſitum Ordinis Ciſtercienſis. Neſcimus an Caleudarium iſtud majorem praeferat antiquitatem illa, qua fuit exſcriptum. Quicquid vero ſit de hoc; ſi *Leontius* in eo commemoratus cum ſuis ſociis eſſet *Leontius* noſter, poſſemus aſſerere emortualem ejus diem fuiſſe XVIII. menſis Nov., & inſuper conjicere noſtrum *Leontium* eſſe ſanctum illum Epiſcopum in ſuo Martyrologio ab Adone relatum ad diem XIX. ejuſdem menſis; quum unius diei variatio tanti momenti non ſit ad hanc conjecturam deſpectui habendam. In uno ex apographis Martyrologii Adonis recenſetur *Leontius* Epiſcopus *Petracoricenſis*, *de quo* (ſic habet cl. mem. praeſul Dominicus Georgius (2) in ſuis notis ad illud Martyrologium) *hac die* (nempe XIX. Nov.) *Vſuardi actuaria tantum. Quis autem ſit iſte Leontius adhuc ignoro. In ſerie Epiſcoporum Petracoricenſium non comparet.* = Animadvertit inſuper doctiſſimus Scriptor in Martyrologiis Gallicanis quinque recenſeri Epiſcopos *Leontii* nomine videlicet: *Leontium Forojulienſem* die XVI. Nov., *Leontium Sanctonienſem* die XIX. Julii; *Leontium Auguſtodunenſem* die I. Julii; *Leontium I. Burdigallenſem* die XXI. Aprilis; & *Leontium II.* pariter *Burdigallenſem* die XV. Nov. In veteri Martyrologio Romano habetur Leontius Caeſarienſis ad diem XIII. Martii, de quo Gregorius Presbyter Caeſarienſis ad patres Nicenae Synodi, S. Gregorius

(1) Sart. de Epiſ. Eugub. Diſs. praelim. cap. VIII. n. VIII. pag. CCCXV.

(2) Georg. in not. ad Martyrol. Adon. pag. 586. edit. Rom. apud Palleatinos.

Digitized by Google

rius Nazianzenus, & S. Athanasius. [1] Habet & Africa suum *Leontium* Episcopum *Tagastensem*, de quo S. Augustinus. [2] Item in eodem Martyrologio ad diem XIX. Martii habetur memoria SS. Apollonii, & *Leontii* Episcoporum; cui tamen Ecclesiae hi duo Episcopi praefuerint Baronius [3] nullibi reperit expressum. Quum vero ad eandem diem XIX. Martii habeamus in Gallicanis Martyrologiis *Leontium Sanctonensem*, forte conjici potest huic Ecclesiae *Leontium* fuisse addictum. Igitur tot inter Episcopos *Leontii* nomine solus ille *Petracoricensis*, quis revera sit ignoratur, & inter Episcopos hujus Ecclesiae non habetur; quamvis ibi certe veneretur. Quid si suspicemur hunc *Leontium* apud Petracoricas veneratum esse *Leontium* Episcopum *Camerinensem*, cujus exuviae ad Petracoricas forte translatae sint? Quomodo, & quando, incertum est. [4] Animadvertimus tandem *S. Leontium* in laudato Calendario Fabrianensi sic esse memoratum = *Leontii*, & *Sociorum ejus Confess.* = Guillelmi diploma, quo testatam habemus Leontii sanctitatem sic habet = *Beatorum Confessorum Leontii*, & *Ansovini Pontificum*, & *Victorini*, & *Sociorum ipsorum* = Socios non habuit *S. Ansovinus* inter Sanctos recolendos, nullosque nobis exhibent illius acta: multo minus socios habuit *S. Victorinus*, qui fuit Venerabilis Eremita. Scimus *Leontium* tantum habuisse socios, & quidem sanctitate, & miraculis illustres, cum quibus Camerinum accessit Episcopus ordinatus: ideoque neque *S. Ansovino*, neque *S. Victorino*, sed *Leontio* Sancti illi socii, videntur assignandi. Possumus propterea argumentari *S. Leontium* in Calendario Fabrianensi cum sociis adscriptum esse nostrum *Leontium* Camerinensem; ejusque emortualem diem figere vel ad diem XVIII. Nov., ut in illo Calendario, vel ad diem XIX. ejusdem mensis, ut in Adonis Martyrologio Romano. Rem dijudicent eruditi.

[1] Baron. ad not. Martyrolog. ad diem 13. Jan.

[2] Serm. XIII. de diverſ.

[3] Baron. ad not. Martyrolog. ad diem 19. Martii.

(4) Possemus etiam credere cultum alteriutrius *Leontii* Episcopi Burdigallensis propagatum esse ad Ecclesiam Petracoricensem, quae suffraganea est Burdigallensis. I. CA- (Ita del Comp. geograph. Eccl. cap. XII. §. 9.) Si vero utriusque Leontii exuviae venerentur in Burdigallensi Archiepiscopali Ecclesia, omnis difficultas corruit. Alterius enim *Leontii* Episcopi reliquiae apud Petracoricas veneratae extraneae prorsus habendae sunt; quum nullum Episcopum nomine *Leontium* in Episcoporum serie numeret Ecclesia Petracoricensis.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Gerontio, & Bonifacio.

I. Gerontius in noſtra ſerie eſt primus Epiſcopus Cardinalis; non tamen putamus illum fundatorem Eccleſiae Camerinenſis.
II. Si nomina anteceſſorum deficiant, nil officit, quin credamus alios Epiſcopos ante Gerontium.
III. Gerontius interfuit R. Concilio ſub Hilario PP. anno 465.
IV. Poſt Geruntium habemus Bonifacium in duabus Synodis ſub Symmaco.
V. Probus a noſtra ſerie rejicitur.

I. PRimus, qui in noſtra chronotaxi occurrit Antiſtes Cardinalis eſt *Gerontius*; cui tamen fundationem Camerinenſis Eccleſiae non audemus attribuere. Perſpecta enim antiquitate, & nobilitate Civitatis Camerini, difficile dictu eſt, ut ante medium v. ſeculum, quo *Gerontius* floruit, nullum alium habuerit Camerinum paſtorem illius Eccleſiae fundatorem, cujus, ſi nomen excideret, in cauſa forte fuit Alaricus Rex Gothorum, qui Romam ſemel, & iterum depopulatus eſt, & Camerino forſan non pepercit: ad aliud enim tempus ejuſdem Civitatis prodigioſam liberationem praeſidio S. Venantii referendam eſſe conjicimus. [1]

II. Si vero poſt hunc Antiſtitem, quem per illa tempora Epiſcopum tuta documenta firmant, in noſtra ſerie Epiſcopos continuatos non habemus, id eveniſſe putandum eſt vel ob defectum monumentorum, vel ob aliquod civitatis infortunium, quo Epiſcoporum electiones non per ſecula, ſed per aliquod tempus retardatae aliquando ſunt. Tale eſt judicium clariſſimi Scriptoris Maffaei [2] qui in Eccleſiis, in quibus Cathedra Epiſcopalis aliquando fuit conſtituta, ſedem per ſecula vacantem rejicit tamquam falſam, & Eccleſiaſticae diſciplinae repugnantem; & ſi Epiſcoporum excidit per aliquod tempus memoria, id omnino eveniſſe putandum eſt ob deperditam Epiſcoporum nominum memoriam.

III. Sedit *Gerontius* in Romano Concilio ab Hilario Pontifice habito anno 465. cum XLVII. Epiſcopis qui de more Romam conceſſerant natalem diem Rom. Pontificis celebraturi. Hujus Concilii initium eſt = *Flavio Baſiliſco, & Hermenerico Viris clariſſimis conſuli-*

(1) Cap. IV. hujus I. lib. n. V. pag. 398. ad 416. edit. in 8.
(2) Scip. Maff. Var. illuſt. P. I. L. VIII.

Digitized by Google

sulibus die xv. Kal. Decembrium residente Viro Venerabili Hilario PP. in Basilica Sancte Marie &c. Claudio Puteolano, Gerontio Camerino &c. [1] Obiisse *Gerontium* regnante Theodorico Ostrogothorum Rege scribit Lilius. (2)

IV. Post *Gerontium* nobis occurrit *Bonifacius*, qui duobus actis Synodalibus interfuit sub Symmaco, altero anno 501. in causa ejusdem Symmachi celebrato [3] in quo *Bonifacius Camerinensis* legitur: quicquid sentiat Harduinus ex collectione ms. Dionysii Exigui: altero anno 504. sub eodem Rom. Pontifice habito contra invasores rerum Ecclesiarum Kalend. Octob. ubi itidem habetur noster *Bonifacius*.

V. Scimus sub Symmaco habitas fuisse plures Synodos, & in II, IV, V, & VI Synodo obsignatum *Probum Camarinensem*, quod a Labbeo corrigitur *Camerinensem*, attamen in VII. volumine suae collectionis in margine indicis topographici Episcoporum in verbo *Camerini*, ubi colligit nomina Episcoporum ejusdem Civitatis, ibi *Probum* etiam adnumerat, & sic scribit = *Hic* (loquitur de *Probo*) *alterius Sedis Episcopus fuit: Conciliis enim sub Symmaco anno 501, & 504. interfuit cum Probo Bonifacius supra relatus Camerinensis Episcopus* = *Probum* propterea cum Lilio [4] Episcopum facimus Siculum, *Bonifacium* Camerinensem, forsan Gerontii immediatè successorem.

[1] Labb. collect. Concil. Tom. v. pag. 89. edit. Ven.
[2] Lil. hist. di Cam. P. 1. Lib. III.
[3] Labbe ubi supra pag. 462.
[4] Lil. P. 1. Lib. III. p. 90.

CAPUT III.

De Sancto Victorino, ejusque suppositio Episcopatu Camerinensi.

I. Scriptorum opiniones de Sancto Victorino, & confusiones inde factae.
II. Georgius illustrat Martyrologium Adonis.
III. Marangonius Lilium redarguit circa Victorini Episcopatum Camerinensem.
IV. Lilius defenditur.
V. Probatur tamen Victorinum non fuisse Episcopum, sed S. Eremitam.
VI. Acta S. Victorini a Jacobillio producta fabulosa.

Digitized by Google

VII. Duo acta SS. Victorini, & Severini fratrum quanti sint habenda.

VIII. Antiquiora acta feliguntur, proferuntur, & illustrantur.

IX. Stationes S. Victorini statuuntur. Argumentatur locus lapsus, locus poenitentiae & locus dormitionis.

X. Traditiones Prolacensium de S. Victorino referuntur.

XI. Sed non admittuntur.

I. INter Scriptores, qui Episcopum Camerinensem volunt *Victorinum*, sunt praesertim Jacobillius, & Lilius. Ughellius illum non recolit. Jacobillius, cujus fidei standum perraro est, facit Victorinum patria Camerinensem, Lilius Septempedanum, & fratrem S. Severini Episcopi Septempedani, longoque stylo desudat ad hujus Victorini Camerinensem Episcopatum asserendum; nititur etiam suam probare sententiam duobus monumentis tabularii Ecclesiae Sanseverinatis, Guillelmi nempe, & Guidonis II. saeculi XIII. Episcoporum. Ado Viennensis in suo Martyrologio [1] inter Martyres adscribit Victorinum, & eundem esse, ac Victorinum Septempedanum elogium, quod de illo intexit sumptum ab antiquis actis SS. Severini, & Victorini fratrum Septempedanorum apertissime probat. Sic factum est, ut e duobus Victorinis tres facti sint; quemadmodum Sancto Severino illius fratri evenisse probat doctissimus Mazzocchius, ut infra videbimus Cap. VII. hujus Libri num. 3.

II. Clariss. mem. Praesul Dominicus Georgius (2) illustrans Adonis Martyrologium profert multorum Martyrologiorum lectiones, quae de S. Victorino agunt. Addit, Baronium in notationibus Martyrologii ad diem 8. Junii Adonem, aliosque redarguere erroris, qui duos Victorinos in unum confundunt, postea concludit: *Utrum acta fuerint interpolata, & an commenticii aliquid in his sit, adeundus est commentarius ad acta S. Victorini Episcopi Amiternini, & Martyris a Jo. Marangonio nuper editus.*

III. Marangonius [3] duos Victorinos in Ecclesiasticis fastis memorat recensitos, quos in unum conflatos vult ab Adone Viennensi; duo enim sunt, & omnino diversi. *Alter* (ait Marangonius) *Romae in suburbano, alter Ploraci: alter Episcopus Amiterninus, alter solitarius, & poenitens: alter Martyr, alter Confessor: alter anno circ. 99; alter 538. obierunt. Id non solum Baronius adnotavit, sed & Cancellottus in vita S. Severini Episcopi Septempedani; Bollandus in*

[1] Ado in Martyrologio ad diem 5. Septem.

[2] Georg. in not. ad Adon. Martyrolog. ad dict. diem.

[3] Marang. act. S. Victor. Amit. §. 1. pag. 5.

in Prolegomenis ad S. Severini acta ; & ad illa SS. Nerei, & Achillei die 12. *Maji Papebrochius*. Post hæc Marangonius nimis forte acriter confutat his verbis Lilii opinionem: *Mirandum sane est ; quod post tam ingens lumen erroribus actorum D. Victorini a Card. Baronio, & aliis objectum, nec in conspectu monimentorum, quae prae oculis habebat, tantum coecutiret Lilius, ut in historia sua Camerinensi scribere non erubuerit, S. Victorinum ipsum Eremitam fratrem S. Severini creatum fuisse Episcopum Camertem, nec illum puduerit testimonium mendacii asserere diploma quoddam Archivii Cathedralis S. Severini in quo nulla penitus de Episcopatu S. Victorini mentio reperitur, sed tantum nominatur Confessor &c.*

IV. Parcat tamen verbis Marangonius, nec tam inhoneste Lilium offendat. Sub nostris enim oculis Guillelmi, & Guidonis diplomata occurrerunt, in quibus S. Victorinus aperte vocatur Episcopus sic: *Divi Ansovini, & Victorini Pontificum*: Attamen duo illa monumenta forte perlecta autographa non sunt, sed apographa, & exemplata anno 1510. a Jo. Corradi notario Camerinensi. Documenta vero autographa, quae in laudato tabulario S. Severini servantur, equidem legi, & cum apographis convenire minime comprehendi. Dissimulare non possumus quod in autographo diplomate Guillelmi dato anno 1253. habetur: *Ansovini, & Victorini Pontificum*: attamen verbum illud *Pontificum* abrasum est: (a quo, & quando nescimus) in diplomate vero Guidonis aperte, & candide legitur: *D. Ansovini Episcopi, & Victorini Confessorum*: & hoc diploma datum est anno 1261. e Monasterio S. Crucis fontis Avellanae. Forte Notarius, qui in Guillelmi diplomate legit *Pontificis* honorem Victorino attributum, pro suo ingenio, & quasi mendosum reputans Guidonis posterius diploma in suo exemplo Pontificis dignitatem voluit Victorino restituere. Juvat etiam animadvertere in eodem tabulario alterum ejusdem Guidonis diploma nos reperisse eodem anno, eadem die, eodemque in loco expeditum favore Monacorum S. Mariani, pro quibus etiam datum est primum, & in hoc pariter legitur: *Sancti Ansovini Episcopi, & Victorini Confessorum*. Haec monumenta, quae ad Appendicem amandamus, autographa Lilium forte fugerunt, & Marangonio patuerunt ; & hinc in Lilium Marangonii jurgia sunt orta. Sed quid inde?

V. Revera nescio cur tanta fides habenda sit hujusmodi schedis post VII. circ. secula a morte *S. Victorini* scriptis ; ut propter illorum auctoritatem *Victorinus* sit Episcopus Camerinensis asserendus. Ideoque si *S. Victorino* cultus tamquam Confessori semper est praestitus, & praestatur adhuc, = si Camerinensis Ecclesia inter Episcopos suos

Vic-

Digitized by Google

Victorinum nunquam recenſuit; & Lilii ſententiam, quae ad majus ſui ornamentum, & gloriam redundaret non excepit: ſi Camerinius in additionibus ad Lilii hiſtoriam fuſe confutat Lilii ſententiam de illius Camerinenſi Epiſcopatu; ſi in antiquiſſima inſcriptione ad locum, ubi illius ſacrae reliquiae in Cathedrali Camerinenſi Eccleſia jacebant, *S. Victorinus* Confeſſor appellatur ſic: *De reliquiis S. Victorini Confeſſoris* [1] non videtur ultra laborandum ad hanc veritatem firmandam: neque epiſtola Athalarici Regis ad Victorinum Epiſcopum, quam profert Lilius [2] habet aliquid, quo ad *Victorinum* Epiſcopum Camerinenſem credenda ſit miſſa.

VI. Tutiori propterea conſilio Marangonius Jacobillium, qui hujus Victorini aſſerti Camerinenſis Epiſcopi acta confinxit, & mille fabellis replevit, inſectatus fuiſſet. Audias, quaeſo, quomodo Jacobillius deliret: Victorinus (tales ſunt Jacobillii ſenſus) fuit Epiſcopus, & Civis Camerinenſis. Bonifacio vita functo, ſelectus fuit ejus ſucceſſor a Symmaco anno 510. Interfuit Synodo Romae habitae ab eodem Pont. una cum Venantio Camerinenſi Senogalliae Antiſtite, & altero Venantio Camerinenſi Cardinali tit. S. Marcelli. Noſtro Victorino ſcripſit Athalaricus Rex; & de eo memoria habetur in diplomatibus Guillelmi Epiſcopi Camerinenſis anno 1254, & Guidonis anno 1261. Tandem Viſionarius hic homo aſſerit abſolutum a patrato crimine fuiſſe Sanctum Victorinum fratrem Sancti Severini Septempedani Epiſcopi ab hoc Victorino Antiſtite Camerinenſi. Nonne haec narratiuncula infinitis ſcatet erroribus, fabulis, & ſomniis?

VII. Ut vero tot geſtorum ſynceram veritatem aſſequamur, & vera a falſis ſegregemus, SS. Severini, & Victorini fratrum Septempedanorum acta breviter hic referamus. Sic, an vera de S. Victorino Jacobillius, an Marangonius, an etiam P. Cancellottus (3) protulerint, facillime aſſequemur. Duos utique SS. Severini, & Victorini actorum ſcriptores habemus. Exemplum primi ſcriptoris legitur in Codice Palatino (4) Bibliotecae Vaticanae exſcripto ſeculo IX. Alterius ſcriptoris acta habebantur in vetuſto Eccleſiae San Severinatis lectionario flammis quidem jamdiu conſumpto; at fideliter prius a probis, doctiſque viris exemplato. Acta priora ſtylo ſane ſimplici, & parum conveniunt ſeculo, quo fuerant compoſita ſeculo forſan VII: nam Ado, qui ſeculo IX. floruit, his actis eſt uſus in ſuo Martyrologio, ut bene perpendit Raphaellius in ſua hiſtoria Cin-

[1] Lil. P. I. Lib. III. pag. 103.
(2) Idem Lil. Patt. I. Libr. III. pag. 59.
[3] Cancell. Vit. di S. Sever. Lib. II. Cap. VIII.
(4) Signat. num. 846.

Cingulana. [1] Altera multo posteriora sunt disposita ad usum San-Severinatis Ecclesiae. Eruditi utrorumque actorum possunt antiquitatem facillime comprehendere ; quum a Bollando (2) sint utraque vulgata.

VIII. Cogimur propterea posteriora acta prioribus post habere, quamvis in illis venerabiles traditiones Ecclesiae Septempedanae credamus insertas, popularibus forsan traditionibus permixtis. Priora selegimus: & haec nobis exhibent Severinum, & Victorinum, non uterinos fratres fuisse, sed germanos (3) *Victorinus* (sic antiquiora habent acta) *sic germanum allocutus est = germanitatis vinculo probabiles Deo hostias obtulerunt = redit ad germanum*, & sic alias ibi passim. Septempedani fuerunt: quo genere incertum est. (4) Qua auctoritate scriptores aliqui illos asserant longinqua in regione natos [5] divinare non possumus. Septempedae bona possidebant stabilia illorum parentes, & Septempedae mortui sunt, acta aperte habent = *Post utriusque parentis obitum distractis facultatibus, pauperibusque divisis* = (6) *Non longe a Septempeda* (7) solitariam vitam duxerunt (8) *Victorinus se de tugurio, ubi cum germano vivebat eli-*

(1) Raphaël. Lib. ms. inscripto = della introduzione, e progresso della Cristiana Religione nel Piceno.

[2] Acta SS. mens. Jan. Tom. 1. ad diem 8. Comment. praevio num. v. pag. 499.

(3) Baron. in not. ad Martyrolog. ad diem 8. Jun. sic habet = *Horum acta legimus accepta ab eorum Ecclesia* (loquitur de posterioribus) ex quibus novimus hos fratres fuisse uterinos, vitamque eremiticam duxisse.

[4] Posteriora acta S. Severini habent, divos hos fratres *magna ortos fuisse prosapia*.

[5] Sabellic. Lib. IX. Antropol. è Pannonia Severinum, & Victorinum progressos scribit. Ferrar. in act. S. Severini natum Severinum in Latio, & praecise in uno ex Romae suburbiis: Leon. Franc. Amiterni vult natos utrosque fratres; at nulla sufulti auctoritate haec afferunt laudati Scriptores.

[6] Prae oculis sunt habenda haec verba = *Post utriusque parentis obitum distractis facultatibus, pauperibusque divisis* = ex iis enim optime cum Cancellotto in Vit. S. Severini Lib. 1. Cap. 1. conjicimus S. Fratres Septempedanos fuisse, non advenas.

(7) Sunt etiam advertenda ea verba = *Non longe a Septempeda* = ad veritatem assequendam actorum SS. fratrum, quorum mora auctoritate syncetorum actorum statuitur Septempedae propinqua.

(8) Nil de monachatu SS. Severini, & Victorini antiqua acta habent, solumque memorant solitariam vitam illos duxisse, *non longe a Septempeda*. Leon. Francus Victorinum nostrum vocat Eremitam = *ad suum Eremum Eremita recessit* = Monachatum SS. fratrum in Monasterio Sancti Laurentii in Doliolo somnium puto. Nimis proximum Septempedae muris, & Aedibus erat hoc Monasterium. Circus enim Septempedae forsan erat ibi, ubi hodie nundinae fiunt, locusque appellatur = *le Carceri* = ubi publica spectacula habebantur, a quibus antiqui Monachi abhorrebant. An ante Septempedae vastitatem S. Laurentii in Doliolo templo coenobium esset junctum cum Monachis nulla nobis documenta probant. Secretiori itaque recessu figamus hos Sanctos, sed *non longe*

a Se-

minat ; ſilvas petit vicini montis, quem dicunt Polacem. (1) Hic ſc. Victorinus abdidit *in ſpecu, quod natura preſtiterat ; ſedit in ſpecu excelſe rupis, quod ſupter fluentis aquae geminum ſinuarat abruptum.* (2) In hac ſolitudine lapſus eſt Victorinus. Admirabilem vero ſuam explevit poenitentiam in Monaſterio a S. Severino condito, quo facti poenitens confugit. (3) Patet ab ipſis actis frequens Epiſcopi acceſſus ad Victorinum a Severino vocati = *Mox Severinus Epiſcopo nunciavit de fatris facto : deducit ſuum Pontificem* (4) *ad locum : Cumque idipſum ſepe* (5) *feciſſet &c.* Inſuper a Severino frater poenitens paſcebatur, ut habent acta = *Dominica modicum panem nec plus, aut minus aque a fratre capiebat, qui etiam ſe ſimili cibo, & jejunio pro fratre macerabat* = Sic Severinus non longe a poenitente fratre manebat. Tandem tranſacto triennio = *Et cum hoc per omnes fama jactaret ..... Coëunt omnes ad Epiſcopum ..... clamant eſſe ſolvendum ; qui* (Epiſcopus) *venit cum omnibus ad Monaſterium* (6) *nec ut ſolebat lenis, ſed plu-*

a Septempeda. Forte in ſummitate *montis nerii*, ſeu *nigri*. Mons nerius appellabatur collis ille, ubi caſtellum fuit conſtitutum *Caſtrum regale* prius dictum, & poſtea a *S. Severino* nomen uſurpavit. Fuit caſtrum iſtud conſtitutum poſt Septempedae deſolationem. Imminet mons iſte coenobio S. Laurentii in Doliolo. In monte igitur nerio habuiſſe receſſum SS. fratres, & S. Severinum ſuum condidiſſe Monaſterium probabili conjectura tenendum eſt. Immo vero id certum videtur ex antiquiſſimis laudatis actis in quibus ſic legitur = Severiuus in eodem ſepultus loco, in quo habuerat monaſterium ; ſeu ut Ado ſcribit = in quo abſtinentiſſimus vixit. Severinus ſepultus fuit in monte nerio ; In monte igitur nerio habuit Monaſterium v. Cap. VII. hujus Libri num. VI. Ea tempeſtate undequaque arboribus montem illum coopertum credimus aptiſſimum propterea ad Monaſterium conſtituendum Septempedae proximum.

(1) Quotquot acta S. Victorini Septempedani ſcripſerunt putarunt *Polacem*, ſeu ut alii legunt *Prolacem* montem fuiſſe prope *Floracum*, ſeu *Prolaqueum* in via Flaminia ſitum *Pioraco* dictum : At quae vicinitatis montium Prolaquei cum Septempeda ? Diſtabat Septempeda a Prolaqueo ad minus X. mill. paſſ. Quae vicinitas a Monaſterio S. Severini in agro Septempedano, *& non longe a Septempeda* condito montium Prolaquei ? Quae nam ſunt *ſwae vicini* montis, quo perrexit Victorinus? Alio igitur quaerenda haec ſolitudo videtur, & non longe a Septempeda, & a Monaſterio S. Severini. Noſtras conjecturas proponimus ; nil tamen aſſerere volumus.

(2) Locus, & ſolitudo, quo S. Victorinus fugit non longe a fratre ſuo Severino perbelle hic deſcribitur, & ſub oculis deſcriptio ponit ſolitudinem, & receſſum *S. Michaelis*, & *Euſtachii de Domoris*, de quo alias in ſerie. Haec ſolitudo a Caſtello S. Severini diſtita eſt III. mill. circiter paſſ. per illa abrupta montium, quibus via aperitur Camerinum verſus ad dexteram Potentiae fluvii. Ibi permultae ſpecus a natura apertae ſunt, & via illa = *le grotte di S. Euſtachio* = nuncupatur.

(3) Vide quam rationi conſona ſit noſtra conjectura, qua Monaſterium a S. Severino conditum fitmamus in ſummitate montis nerii prope Septempeda.

[4] Si *ſuum*, nempe *Severini* Epiſcopum ; ergo erat Epiſcopus Septempedanus.

[5] Si *ſepe* ; ergo *non longe a Septempeda*. Non tam ſepe iter X. ad minus mill. paſſ. poterat arripi ad Ploraci uſque receſſus.

(6) Utique ad illud, quod condidit S. Se-

plurima auctoritate ſuccinctus .... Ad reſerandum arborem artificum manus, & multitudo colligitur. Volebat enim Epiſcopus finem ponere Victorini poenitentiae. Victorinus vero prius = *petit hebdomadae jejunium* = Obtinet. Impleta hebdomada redit cum populo Epiſcopus; *omnis etas, uterque ſexus accurrit; magnis ac minimis terra denſatur, ſcanditque tectum Monaſterii*, [1] *arbores ouerantur; clamor idem omnium: beatiſſime Papa* (2) *abſolve, quem abſolvit Deus* = Tunc Epiſcopus erecta manu facto ſilentio locutus eſt &c. & poſt breve Epiſcopi colloquium, ut acta habent, S. Victorinus... *elevans ad celum vultum .... oblatoque prius a Sacerdote Sacrificio actum ingemiſcens oravit*. Completaque oratione = *Celum ex ſerena parte intonuit, vinclaque arboris purior ignis abſolvit. Ruit in faciem turba circumſtans, & qui ceciderat ſolus erectus eſt. Itaque omnibus collaudantibus Deum, deductus eſt ad Eccleſiam &c.* Sunt haec Severini, & Victorini acta, quae nobis, & vitae genus illorum, & Victorini poſt lapſum miram poenitentiam clare & fideliter narrant. Quae ſequuntur in Adone = *in qua degens ſine Crimine raptus brevi Amiternine urbis ſuſcepit ſacerdotium* = non utique ſpectant ad noſtrum Victorinum; ſed forte Adonis ſunt, qui Victorinum Amiternum cum Septempedano confundit.

IX. Ex huc uſque dictis ſtatuendum videtur Monaſterium a S. Severino conditum *non longe a Septempeda* in monte-nerio; lapſum S. Victorini inter Silvas Monaſterio vicinas forte in Valle Gabiana, & *in ſpecu quod natura perſtitit* in loco de Domoris, & tandem locum poenitentiae Victorini, in eodem Montenerio, & prope Monaſterium S. Severini. Reſtat nunc perquirendus locus dormitionis S. Victorini: ad quem expiſcandum juvat perpendere, admirabili illa triennali poenitentia Victorinum noſtrum celeberrimum undequaque factum, & ut *Angelum* (ut Mombritius (3) ſcribit) habitum maximam apud omnes nactum fuiſſe venerationem, & cultum. Ut ergo omnium oculis ſe Sanctus poenitens ſubtraheret, longe ab illo Monaſterio; id etiam forſan adprobante S. Severino, in remota aliqua ſe ſolitudine abſcondere ſtuduit, illamque ſelegit in montibus Prolaquei, ubi abditus vixit, & vitae curſum feliciter conſummavit. Ecce ſtationes noſtri Victorini ſic diſtributas, ut nil in illis inveriſimile appareat. Ecce quomodo S. Victorini Lipſana Camerinen-

M nen-

S. Severino *non longe a Septempeda*. Venit ergo Epiſcopus probabilius Septempedanus, quam Camerinenſis, ut quidam cum Lilio P. 1. Lib. 11I. pag. 95. ſcripſerunt.

[1] En locum poenitentiae Victorini tam proximum Monaſterio, ut ab illius tecto Victorinus ab arbore pendens poſſet intueri.

(2) Nomen *Papae* Epiſcopis datum perantiquum eſt.

(3) Mombr. in Vit. S. Vict.

Digitized by Google

nenſis Eccleſia acquiſierit ; & verum etiam ſit, quo in exemplo quodam antiquo actorum S. Victorini ſcriptum reperit Lilius : (1) *Cujus beatum corpus Camertes poſtea in urbem portarunt, & in Epiſcopali Eccleſia ſepultum eſt* = Si noſtrae conjecturae videantur admittendae, nemo non videt quanta cauthela ſunt noſtri Lilii ſententiae de Epiſcopatu Victorini excipiendae.

X. Apud Prolacenſes traditio tantum viget de Victorini lapſu, & de triennali apud ipſos peracta poenitentia. Specum, ubi lapſum volunt Victorinum, figunt pene in tertia parte praerupti montis = *delle grotte di S. Vittorino* = dicti, a Prolaqueo (2) ccc. paſſ. circ. diſiti. Specus deſcriptio haec eſt. Illius altitudo in ingreſſu eſt palm. 9. latitudo palm. 4. $\frac{1}{2}$ longitudo, & profunditas palm. 19. In medio cryptae ſenſim ſpecus reſtringitur. In illius medio ſaxum aſſurgit ubi antiqua tela ſtat ſemilacera, & in ea S. Victorinus pictus eſt a Demone illuſus. Ad ſiniſtram in ingreſſu ſpecus ad altitudinem palm. 4. circ. loculus eſt inſtar fontis ſex palm. rotundi, & ſuper illum foramen apparet, per quod aqua forſan ſtillabat. Ligneus cancellus ſpecum cuſtodit, ad quem aſcendimus per anguſtam, praeruptamque viam per quoſdam rudes gradus ſcalprorum vi factos. Ad radicem montis, qui *mons primus* nuncupatur, volunt S. Victorinum ſuam expleviſſe admirabilem poenitentiam ; & a ſpecu ubi S. Victorinus lapſus eſt abeſt paſſ. circ. cccc ; ubi parochialis Eccleſia Prolacenſis eſt aedificata. Dicitant etiam, ubi princeps templi ara aſſurgit, ibi arborem fuiſſe in qua ſuam explevit poenitentiam S. Eremita. Nil habent Prolacenſes de loco dormitionis Victorini, nil de Monaſterio S. Severini, quod certe ad radices montis eſſe debebat, ubi S. poenitens culpam expiavit.

XI. Si quis vero cum ſynceris actis S. Victorini traditiones Prolacenſes conferat, forte reſpuendas eſſe facillime comprehendet. Et primo quidem Victorinus dici non poſſet a S. fratre ſuo ſejunctus, & remotus, ſi longe a Monaſterio cc, vel ccc. paſſ. in illa ſpecu ſeſe incluſiſſet more tunc Orientalium, & Occidentalium Monachorum. Secundò ; improbabilis eſt poenitentia Victorini ad radices montis prope Monaſterium S. Severini : utrumque enim ſitum fuiſſet in via Flaminia, & prope Prolaqueum, quod per ea tempora certiſſimè exiſtebat. (3) Et tandem perſpecto ſitu ſpecus, Demonis fraudes a Victorino potuiſſent illico detegi. Quomodo enim illuc aſcendere, mu-

[1] Par. 1. Lib. III. p. 96.

[2] Prolaqueum per illa tempora exiſtebat auctoritate itinerarii Antonini, eratque ibi ſtatio militaris, cum illud eſſet conditum in illo tractu viae Flaminiae, qua Roma Anconam progredimur.

[3] Bergerius de publ. & milit. Imper. Rom. viis apud Grevium Tom. X. col. 376.

mulier potuit quaerens hoſpitium in illa procelloſa obſcura nocte, ſi ſitus erat tam difficilis aſcenſu, mons ubique impervius, & non niſi ex induſtria, & maximo cum labore ſuperandus; quando paratum habere poterat Prolaquei hoſpitium, vel illud implorare a S. Severino in Monaſterio ſuo, quod certiſſimè inibi eſſe debebat? Praeterquamquod anguſtia illius cryptae, ubi lapſus eſt Victorinus, in ſynceris actis deſcriptae (1) vix ad duos excipiendos homines capacis nullatenus congruit cum amplitudine, latitudine, & profunditate cryptae Prolacenſis, quam ſupra dedimus. Coetera, quae noſtris actis adverſantur, omittimus, quum noſtras conjecturas minime deſtruant.

CAPUT IV.

De Epiſcopis VII. *&* VIII *ſeculi.*

I. Glorioſi *Epiſcopatus* VII. *ſeculo certus eſt.*
II. Projectus *a ſerie rejicitur.*
III. Felix *ſucceſſor* Glorioſi *fuit.*
IV. Solon *ſeu* Salmes *forte inter Epiſcopos noſtros adnumerandus eſt.*
V. Camerinum a Langobardis Solon liberavit; & forte ſub ejus Epiſcopatu S. Venantius Patronus Civitatis fuit proclamatus.

I. A B anno 504, quo *Bonifacii* memoriam certam habemus, ad annum 649, quo Epiſcopali dignitate fulgebat, *Glorioſus*, vaſtus patet hiatus annorum 145. in noſtra ſerie. Qua ratione id evenire potuerit, habes in praeliminari Diſſertatione. (2) Epiſcopus iſte interfuit Lateranenſi Concilio Romae habito (3) ſub Martino I, ubi 150. Epiſcopis praeſentibus, typo Conſtantis Imperatoris proſcripto, Monothelitarum haereſis, ejuſque promotores Cyrus, Alexandrinus, Sergius, Paulus, & Pyrrus Conſtantinopolitani fuerunt condemnati. Ibi *Glorioſus* obſignatus legitur: *Ego Glorioſus Epiſcopus Sanctae Camerine Eccleſie ubi ſupra.*

II. Proſequitur Ughellius ſeriem noſtrorum Antiſtitum, & poſt *Glorioſum* in illa ponit *Projectum* ſub Eugenio Romano Pontifice anno 694. Aſſerit etiam martyrio coronatum anno 660. ex antiquis Camerinenſis Eccleſiae documentis: At ſub quo tyranno, ubi, & quare martyrii palmam promeruerit reticet Ughellius, cui turpiter neſcio

M 2

(1) Cancellott. Vit. di S. Sever. Lib. II. Cap. III. pag. 81.

(2) Cap. II. de ortu Eccl. Cam. §. III.
(3) Labb. Collat. Concil. Tom. VI.

Digitized by Google

ſcio quis impoſuit; nulla enim monumenta praeſto ſunt neque in Camerinenſibus tabulariis, neque alibi ad hanc gloriam *Projecto* firmandam. Immo vero documenta omnino deficiunt queis Camerinenſis Eccleſiae poſſimus *Projectum* ſuſtinere paſtorem. Lilius [1] hunc errorem confutat; probatque *Projectum* apud Belgas martyrio coronatum in Civitate Camerinenſi una cum Maſſilinda eximiae pudicitiae foemina Arvernenſem fuiſſe Epiſcopum, ideoque nos e noſtrorum Antiſtitum catalogo tollimus.

III. *Glorioſi* ſucceſſorem habemus *Felicem*, nullo forſan intermedio Antiſtite. Ab anno enim 949, quo florebat *Glorioſus* ad annum 680; quo certam *Felici* Camerinenſem Sedem aſſignamus, XXXI. tantum intercedunt anni; & ſpatio XXXI. annorum inter ipſos diviſo, ambo potuerunt hanc Eccleſiam facillimè gubernare. *Felix* igitur in Conſtantinopolitano VI. generali Concilio ſub Agathone Rom. Pont. anno 680. die 5. Nov. inchoato, & in ſequenti anno 681. producto obſignatum legimus *Felicem* noſtrum = *Felix exiguus Epiſcopus ſanctae Camerine Eccleſie in hanc ſuggeſtionem, quam pro Apoſtolica noſtra fide unanimiter conſtruximus ſimiliter ſubſcripſi.* (2)

IV. Poſt *Felicem* forte floruit *Solon*, ſeu *Salmes*. Tam debilibus tamen argumentis *Solonis* Epiſcopalis Sedes eſt innixa; ut de illa nil certè aſſerere poſſimus. Quod de *Solone* memoriae proditum eſt dicam. Ughellius vult *Solonem* ſedem tenuiſſe Camerinenſem anno 750. tempore Zaccariae Rom. Pont., ipſique apprimè charum fuiſſe aſſerit. In ſua hiſtoria Lilius [3] non praeterit *Solonem* quem vult una cum Civibus Camerinum a Longobardis obſeſſum ſtrenuè defendiſſe, & ab obſidione liberaſſe. Fatetur tamen id aſſerere fide cujuſdam commentarii volantibus foliis excuſi, cui ſuffragatus, ait, auctoritas emeriti ſcriptoris, cujus nomen reticet. Poterat Lilius commentariolum illud vulgare, vel ſaltem ſcriptoris nomen non reticere; ut exinde emunctae naris viri utriuſque merita ſubodorarentur. Hiſtoria enim ab arcanis abhorret. Illius memorandae victoriae ſeriem ſcripſit P. Jo: Baptiſta Bracceſchius ex Ordine Praedicatorum ſeculo XVI, illamque vidimus aſſervatam in tabulario priorali Camerini. (4) An Bracceſchius ſcriptor ille eſt, cujus nomen reticet Lilius?

V. Ca-

(1) Part. I. Lib. IV. pag. 118, & 116. auctoritate Molan. in Natal. SS. Belg. die 13. Nov. & Sigibert. in Cronic.

[2] Labb. Collect. Concil. Tom. VII.

[3] Part. I. lib. IV. pag. 121.

(4) Hujus commentarioli titulus eſt = *Hiſtoria della glorioſa Vittoria di Camerino contra i Longobardi dell'anno 754. ſcritta dal P. Fr. Gio: Battiſta Bracceſchi Fiorentino. Dedicato a' molto Magnifici Signori Conſiglieri, e Signori Priori dell'antica e illuſtre Città di Camerino li 4. di Dicembre 1588.*

Digitized by Google

V. Camerini liberationem nobis exhibet Lilius, (1) & P. Mathaeus Paſcuccius (2) in Vita S. Venantii, forſan a Bracceſchii commentario extractam, cujus ſumma haec eſt. Agiulphus Langobardorum Rex vix compertum habuit Ravennatem Exarcham ad ſuam ditionem perplures reduxiſſe Civitates, ingenti agmine a Canardo, & Barbato ducto, in Exarcham irruit, regiones undequaque ruinis, & ſanguine ſpargens. In Camerinum etiam progreſſus eſt. Camertes autem duce *Solone* Epiſcopo ſuo obſidionem ſuſtinere parati, antequam in hoſtes aciem conferrent, ad Sancti Venantii ſui patrocinium confugere ſtatuerunt. Solon itaque ad Sancti Martyris aram coram populo immaculatam obtulit hoſtiam Deo, a quo, interceſſore Venantio, enixis precibus Civitatis liberationem, hoſtium fugâ, & ruinâ, imploravit. Mox, nulla interpoſitâ morâ, intrepidus in hoſtes irruit, praeliumque commiſit, eo felici ſucceſſu, ut fugato, attritoque hoſte, Civitas ab obſidione liberata ſit. Id eveniſſe, ajunt, anno 754. Quae, ſi vera ſint, conjicere poſſumus tempus, quo S. *Venantius* a Civibus ſuis Civitatis Protector fuit conclamatus. Et forte per haec tempora, anno videlicet 754. id factum eſſe conjiciendum eſt. Quicquid exinde ſcribit Lilius (3) eveniſſe tempore Theodorici de mirabili illa Sancti Venantii apparitione vexillum manu geſtantis, multis militibus ſtipati, Urbis moenia ſtrenue defendentis, hoſteſque terrore incutientis, atque fugantis, ſub *Solone* veroſimilius eſt referendum, & per haec tempora S. Venantium Patriae Protectorem, & Defenſorem acclamatum fuiſſe conjicimus. Cultus propterea S. Venantio a Camerinenſibus primo ſub *S. Leontio* praeſtitus, ſub Epiſcopo *Solone* amplificatus mirificè forte fuit. Verum eſt utique, certis documentis *Solonis* Epiſcopatum ſuſtinere non poſſe; Eccleſiae tamen Camerinenſis traditio non eſt contemnenda, quâ fiſi in Epiſcoporum ſerie *Solonem* numeramus.

(1) Lil. hiſtor. Camerin. Par. 1. Lib. IV. pag. 120.
(2) Paſcucc. Vit. S. Ven.
(3) Part. 1. Lib. III. n. V. pag. 76.

CAPUT V.

Statuitur aera Epiſcopatuum Sancti Anſovini, *&* Fratelli: *& agitur de* Anſelmo, *&* Celſo *Epiſcopis IX. ſeculi.*

I. Ughellius poſt Solonem *ponit S.* Anſovinum.
II. Lilius probabilius Anſovino praeponit Fratellum.

III. Ar-

III. *Argumentis haec ſeries firmatur.*
IV. Fratellus *erat Epiſcopus anno* 844.
V. *Juxta Lilium Anſovinus ordinatur Epiſcopus anno* 850.
VI. *Quanto tempore Eccleſiam rexerit.*
VII. *Anſovinus inter Monachos prius: mox Eremita: tandem inter Epiſcopos adſcriptus. Obiit die* 13. *Martii. Eligitur Camerini Protector.*
VIII. *Succeſſor S. Anſovini* Anſelmus.
IX. *Poſt hunc habetur* Celſus, *ſeu* Celus; *documento Theodoſii Epiſcopi Firmani.*
X. *Epiſcopatus* Celſi *rejicitur; & Theodoſianum diploma falſum probatur.*

I. POſt *Solonis* Epiſcopatum Ughellius exhibet in ſerie *S. Anſovinum*, de quo ſcribit: *S. Anſovinus populo, Cleroque ſuffragante Epiſcopatum aſcendit anno* 816. *evolavit ad praemia die* 13. *Martii* 840. quae ſi vera forent, Sanctus *Anſovinus* per annos XXIV. Eccleſiam ſuam adminiſtraſſet, & *Fratellus* Sancti *Anſovini* ſucceſſor fuiſſet, quemadmodum ſeriem ſuam proſequitur laudatus Ughellius.

II. Sequi tamen Ughellii opinionem non poſſimus; multoque minus illam Papebrochii, qui S. *Anſovini* ordinationem figit ad annum 822. [1] Lilius [2] credit *Anſovinum Fratello* eſſe poſtponendum; quamvis fateatur nil certe ſibi praeſto eſſe ad aeram definiendam ordinationis S. *Anſovini*, quam ipſe Lilius ad annum figit probabili conjectura 850. & hanc nos libentius ſequi malumus rationibus infra producendis.

III. S. Anſovini acta a Bollandiſtis eduntur. (3) Scripta ab Egino Monacho, ſcriptore pene coaevo, & ad Petrum Epiſcopum noſtrum florentem anno *963.* oblata; diſpoſita eodem forte ſeculo, quo Sanctus Anſovinus deceſſit. Nil haec acta habent, quod illorum ſinceritatem, fidemque perturbet. In iis actis *Ludovici Caeſaris* nomen expreſſum habemus; ſed quum duo fuerint Imperatores *Ludovici* nomine IX. florente ſeculo, alter videlicet *Ludovicus Pius* Caroli Magni filius; alter *Ludovicus* filius Lotharii Ludovici Pii filii dictus II; hinc dubitandi locus datus eſt, an S. *Anſovinus* ſub primo, an ſub ſecundo Ludovico floruerit. Ad has tamen tenebras diluendas acta proſequamur, queis certiores reddimur venerandum Anſovinum ſummam ſibi nactam fuiſſe *non ſolum a vicinis, vel a longinquis aliis venerationem.... ſed etiam ab ipſo Caeſare Ludobico videlicet,*

(1) Acta SS. die 13. Martii Tom. II. pag. 321. in praevio commen.
[2] Part. I. Lib. IV. pag. 131.
(3) Acta SS. ubi ſup.

Digitized by Google

cet, eo quod christianissimus esset, qui tempore illo romani regebat habenam imperii, veneraretur; prae aliis adsumens eum sibi in spiritualem patrem. En *Ludovicum* Imperatorem, de quo agunt acta, in Italia commorantem, Ansovinum nostrum adsumpsisse *eum sibi spiritualem patrem*. Primus Ludovicus Caesar proclamatus anno 813. [1] Italiam nunquam vidit. Ergo Ludovicus iste in actis S. Ansovini memoratus non videtur esse Ludovicus Pius. Ludovicus vero II. Lotharii Filius in Italiam venit anno 844, quo fuit Italiae Rex proclamatus, & anno 850. Imperator inunctus, & in Italia semper mansit, vitam ibi finivit, & Mediolani sepultus est anno 875. (2). Imperator iste potuit sibi seligere Ansovinum *in spiritualem patrem;* & huic Imperatori laudes debentur *Christianissimi;* illaeque a Reginone [3] attributae, quas in suis Annalibus Muratorius [4] & Lilius repetit in historia sua. (5) Imperante igitur Ludovico II. aeram nos firmamus ordinationis *S. Ansovini* post Episcopatum *Fratelli*.

IV. Anastasii Bibliothecarii auctoritate a Baronio (6) anno 844. producta, tenebat eo anno Episcopalem Camerinensem sedem *Fratellus*, quem *Frantellum*, vel *Frontellum* vocat Ughellius. Fuit *Fratellus* unus ex iis Episcopis, qui solemni illi conventui Romae a Sergio II. habito interfuit, quo Italici Regni fuit corona redimitus laudatus Lotharii filius *Ludovicus* ad divi Petri Basilicam; & cum ipso *Fratello* interfuerunt Gregorius Archiepiscopus Ravennas &c. Sigismundus Episcopus Asculanus, Visus Firmanus, Recipertus Nucerinus. Quo tempore suum obierit diem *Fratellus* argumentabimur infra. Illius tamen in Episcopatu successor S. Ansovinus est habendus.

V. Lilius ut supra dictum est conjicit S. Ansovini ordinationem figendam esse anno circ. 850, quo anno Ludovicus fuit forsan Imperator inunctus. [7] Electionem S. Viri a Clero, & populo factam credit, antequam Ludovicus esset Imperator proclamatus, per illa verba, quae in actis habentur = *regis gratia quaesitus est Ansovinus*: Nemo non videt, quanti est habenda haec conjectura. Ludovicus enim ab Egino, modo Caesar, modo Rex nuncupatur: utrâque enim dignitate Princeps ille fulgebat. Possimus tamen ordinationis S. Ansovini aeram propius intueri certiores facti de temporis spatio, quo S. Praesul Ecclesiam Camerinensem gubernavit.

VI. Id ab actis ab Egino scriptis dilucidè deprehendimus. Acta habent S. Ansovinum per annos circiter XVIII. Ecclesiam sibi commis-

(1) Murat. Annal. d'Ital. ann. 813.
[2] Murat. ubi supra ad ann. 875.
[3] Regin. in Chron.
[4] Murat. ubi sup.
[5] Lil. P. 1. Lib. 4. pag. 128.
(6) Baron. Annal. Eccl. anno 844.
(7) Murat. Annal. d'Ital. anno 850.

Digitized by Google

miſsam adminiſtraſse ſic = *Hic* (Anſovinus) *itaque cum jam fere ageret octavum decimum ordinationis ſue annum plenus dierum, ideſt bonorum operum fructibus ..... feliciter migravit ad Chriſtum* = Si ergo ſequamur Ughellii ſuperius productam ſententiam, & Anſovinum velimus anno 816. ordinatum, & anno 840. vita functum, hunc Epiſcopum habebimus non per XVIII, ſed per annos XXIV. contra Egini auctoritatem. Si ſequamur Papebrochium, ordinationem Anſovini figemus ad annum 822; aſſignato emortuali S. Antiſtis anno ad annum 840, a quo detractis XVIII. illius Epiſcopatus annis, ut probant acta, reſultat ordinationem illius fore figendam ad annum 821. Alterutrâ ex iis ſententiis admiſsâ, ordinatio S. Anſovini ad tempora eſset figenda non Ludovici I, neque II, ſed Lotharii, cui Ludovicus Pius imperium ceſſit anno 817. & Italiae regnum anno 820. [1] Sententia igitur magis rationi conſona videtur, ſi cum Lilio ordinationem S. Anſovini ad annum circiter 850, nempe vel labente anno 844, quo florebat Fratellus, vel 845. ineunte firmemus, vitâ functo Fratello, & annum 861 emortualem S. Anſovini ſignemus. Sic inter Fratelli, & Anſovini obitum reperiemus illos *fere* XVIII. annos ab Egino Anſovini Epiſcopatui aſſignatos. Forte Egini acta alterâ nos implicabunt difficultate per *illa* verba = *Per idem tempus* (Caeſaris nempe Ludovici) *factum eſt ut Camerine Civitatis Eccleſia aliquantiſper abſque preſule regeretur* = Poſset enim aliquis vi adverbii *aliquantiſper* transferre ordinationem S. Anſovini ante Fratellum; quum ab Epiſcopatu Solonis, qui noſtram Eccleſiam forte regebat anno 750 circ. ad annum 844, quo florebat Fratellus, pene per ſeculum unum Epiſcoporum memoria deficiat: quando, vitâ functo Fratello, nil obeſt, quin credendus ſit Anſovinus illico ordinatus Epiſcopus; & propterea Eccleſia Camerinenſis *aliquantiſper* non vacaſset. Huic tamen difficultati poteſt facile occurri, dicendo: quod illud adverbium *aliquantiſper* exprimit modicum tempus, quod revera, ſi Camerinenſis Eccleſia per ſeculum circ. unum vacaſſet, non bene congrueret. Potuit propterea a morte Fratelli *aliquantiſper*, per unum ſcilicet, vel alterum menſem ſedes Camerinenſis vacare, culpa forſan Eccleſiam illam ſibi arrogantium, & hac de cauſa Epiſcopi electio retardata *aliquantiſper* fuit, & ad hujuſmodi impedimenta tollenda, *regis gratia queſitus eſt Anſuinus*. Acta audiamus = *Per idem itaque tempus factum eſt, ut Camerino Civitatis Eccleſia aliquantiſper abſque preſule regeretur ſuo quippe defuncto paſtore. Cumque vero, ut aſſolet, multi conarentur, ſed fruſtra, regis gratia queſitus eſt Anſuinus* = Hanc igitur electionis moram ſi ad-

[1] Murat. ubi ſupra anno 820.

Digitized by Google

admittamus, en tempus XVIII. circ. annorum regiminis S. Anſovini non deficere, & forſan poſſumus aſſerere; poſt *Fratellum*, Eccleſiam ſibi commiſſam gubernaſſe *S. Anſovinum* ad annum 861, quo, ut infra videbimus, in Camerinenſi Sede florebat *Anſelmus*.

VII. Anſovinus igitur noſter *ab ipſis ferme primaeve annis aetatis ſuae educatus inter religionis ordines gerentes* [1] *inſtructus ſacrarum litterarum ſtudiis, Sacerdotii meruit pertingere dignitatem*. Sic ejus acta. Vitam Eremiticam duxit, a qua fuit ad ſedem Epiſcopalem aſſumptus. *Sed Sanctus renuebat, niſi prius obtinuiſſet, quod cupiebat ab Auguſto. Jam enim peſſima inoleverat conſuetudo, quae Epiſcopos more ſecularium militare cogebat, quod Anſuinus omnimode a ſe poſſe fieri denegabat ..... Haec autem forte meditante ſecum data eſt optio Sancto Viro a premiſſo Caeſare* (2) *ſecure accedendi ad Pontificatus honorem, quia non auderet eum quiſquam compellere deinceps militie rei inſervire ſeculari. Hac itaque ſponſione accepta B. Anſuinus ..... fideli poſtulationi omnibus exultantibus aſſenſum prebuit*, & Epiſcopus a Rom. Pontifice ordinatus, Camerinum rediit, populumque ſibi commiſſum eo catholicae Fidei ardore, & paſtoralis ſollicitudinis ſtudio gubernavit, ut a Deo, dum adhuc in vivis ageret, miraculis illuſtratus, ad coeleſtem patriam die XIII. Martii, ut fama eſt, feliciter evolaverit; & ob innumera Camerinenſi populo beneficia Sancti Antiſtitis ſui patrocinio a Deo diffuſa inter Camerinenſis Civitatis patronos adſcriptus ſit, ſummoque in honore habitus.

VIII. Sancti Antiſtitis Anſovini ſucceſſorem habemus *Anſelmum* Ughellio ignotum. Interfuit *Anſelmus* Concilio a Nicolao I. Romae habito anno 861. contra Joannem Ravennatem Epiſcopum, qui nimis durè ſuam regebat Eccleſiam. Hujus Concilii acta primus vulgavit cl. Abbas Bachinius; mox a Labbeo in ſua Conciliorum collectione [3] relata ſunt.

IX. Poſt *Anſelmum* ſequitur in ſerie *Celſus*, ſive, ut legit Manſius (4) *Celus*, de quo nullam habet memoriam hiſtoria Camerinenſis. Ughellius *Celſum* obſignatum reperit Camerinenſem Epiſcopum in donatione, quam Theodoſius Epiſcopus Firmanus fecit Monaſterio

N

[1] Educatio S. Anſovini *ab ipſis ferme primaevae annis aetatis ſuae inter religionis ordines gerentes* videtur exprimere ſanctum juvenem unum ex illis fuiſſe pueris, qui *oblati* dicebantur, & a nobilibus genitoribus Monachis tradebantur educandi. Mos iſte tempore etiam S. Benedicti erat inductus, & propterea in ſua regula Vir ille beatiſſimus morem illum confirmavit. A Monaſterio exinde potuit Anſovinus ad Eremum tranſire, unde ad Epiſcopalem Sedem fuit aſſumptus.

[2] Nempe Ludovico II. Lotharii filio.

(3) Labb. collect. Concil. Tom. X. pag. 193.

[4] Manſ. addit. ad Concil. T. I. p. 147.

Digitized by Google

rio S. Crucis ſito in agro Sancti Elpidii illuſtris Oppidi Firmanae Dioeceſeos anno 887. Schedam hujus donationis ab Ughellio [1] datam in Tabulario priorali Sancti Elpidii aſſervari ſcribit Medaglia in hiſtoria illius Oppidi; quae tamen ſcheda multis argumentis cenſetur falſa.

X. Quod Theodoſii diploma ſit merum commentum ea praeſertim ratione probatur, quia ibi aſſeritur Theodoſium inauguraſſe Eccleſiam S. Crucis praeſente Carolo Craſſo Imperatore; ſic enim in eo legitur = *Preſente D. Carolo imperatore ſereniſſimo cum multis principibus, clericis, & laicis menſe Septembris die xiv. exeunte anno dominice incarnationis* 887. *Indict. V. anno imperii D. Caroli in Italia VI.* = Et Carolus huic ſolemni inaugurationi in Marchia Anconitana non potuit eo anno intereſſe, quum ex Hermanni Contracti Chronico [2] legamus ad annum 887. = *Imperator Carolus in Alſatia gravi infirmitate detentus jacuit, & parum convaleſcens inciſionem capitis pertulit* = Inſuper ſi Carolus poſt paſchalia feſta anni 886. montes tranſcendit Pariſienſem Civitatem a Normannis obſeſſam defenſurus, & ſuae gentis frenaturus tumultus, ſolemnem habuit Conventum ultra montes die XI. Novembris anni 887, nec ultra Italiam vidit, ut pene omnes illorum temporum ſcriptores aſſerunt apud Calmetium, [3] & apud Muratorium, (4) quomodo in Marchia menſe Septembri ejuſdem anni potuit ſumma pace templi S. Crucis inaugurationi intereſſe? Quid vero amplius immoror ad reprobandum Theodoſianum diploma, quod ſumma eruditione in ſerie Anconitanorum Antiſtitum falſum probat doctiſſimus P. Fauſtus Maronius Congregationis Scholarum piarum nuperrime ab illo vulgata. (5)

[1] In ſerie Epiſcoporum Camerin.
[2] Herm. Cont. Chron. ann. 887.
[3] Cal. hiſtor. Univ. Tom. VII. Lib. XCI. n. XLII.
[4] Annal. ad ann. 887.
[5] Romae typis S. Michaelis prope Ripam num. XVII. pag. 24. & ſeqq.

CA-

CAPUT VI.

De Eudone Epiſcopo florente ſeculo X. *& de ejus ſucceſſore* Petro.

I. Eudo aedificat templum S. Mariae.
II. Inveſtigatur quale ſit hoc templum.
III. Lilii opinio de templo S. Mariae *refellitur.*
IV. Canonica *in Eccleſia Cathedrali Camerinenſis tempore Eudonis jam fundata; & de* Canonicis *nonnulla proferuntur.*
V. Aliae Canonicae *in noſtra Dioeceſi enunciantur.*
VI. De Caſtaldia Septempedana; *& nonnulla de* Septempeda producuntur.
VII. De Septempedae *deſolatione; ejuſque Epiſcopatus ſuppreſſione. Et de origine novi oppidi* San-Severini.
VIII. De Petri *Epiſcopatu.*

I. EN primum Epiſcoporum, quorum nomen dat Eccleſiae Cathedralis San-Severini tabularium. Hic celebre *Eudonis* diploma aſſervatur (1) datum anno 944. cujus exemplar prae caeteris uſque ad hoc tempus vulgatis improbo labore confectum damus in Appendice. A fundamentis igitur erexit *Eudo* templum = *Regnante domno Vgoni nonodecimo anno & filio ejus Lotharii quintodecimo & cellentiſſimis regibus temporibus Huberti filii ejus inclito marchioni, adque piiſſimo duci anno ſecundo per indicione tertia ..... in honore beate Marie Virginis & omnium celeſtium agminum in Caſtello, qui dicitur ad Sanctum Severinum ſuper flumen potentie, & ſuper ſaxu ipſius fluminis prope via pupplica* = Deinde templum dotavit cum placito ſuorum Canonicorum ſic = *Placuit mihi atque convenit inter nos & confacerdotes noſtros Cardinales presbiteros, ſeu venerabiles laicos, ut in ipſius jamdicte Eccleſie dediſſemus, & concederemur aliquid de rebus Eccleſie noſtre* = & aſſignavit inter coetera quaedam bona *in gaſtalda Sabtepidano*, ideſt *Septempedano*. Sunt verba diplomatis.

II. Quale ſit hoc templum ab *Eudone* aedificatum haud difficiliter inveniemus. Si enim templum illud conſtructum eſt ſuper flumen

N 2

[1] Erravit Muratorius, qui Annal. Ital. Tom. v. ad annum 944, aſſerit diploma Eudonis cuſtoditi in Eccleſia Oppidi Sanctae Severinae in Neapolitano Regno. Cuſtoditur in tabulario Eccleſiae Sancti Severini in Piceno, e cujus auctographo exemplar ſumpſimus.

Digitized by Google

men Potentiae, & ſuper ſaxum fluminis & prope viam publicam, & in Caſtello, quod dicitur *ad Sanctum Severinum*; inter flumen Potentiae, publicamque viam templi fundamenta jacta ſunt; & ab hac deſcriptione ſtatim intelligemus templum hodie S. Dominico Praedicatorum Ordinis inſtitutore, olim beatiſſimae Virgini ſacrum, quodque olim *S. Maria de Mercato* nuncupatum eſt, illud eſſe ab *Eudone* fundatum: non illud ſiquidem ipſum, quod nunc eſt magnificentius exaedificatum. Credimus enim illud *Eudonis* non adeo ampla ſtructura fuiſſe; & per ſubſequtas temporum injurias, mundique calamitates corruiſſe. Hoc ſiquidem templum ſuper flumen Potentiae, & ad ejus dexteram, ſuper ſaxum ipſius fluminis, ubi ſaxoſum ſolum eſt, & ſcopuloſum, & prope viam publicam, illam ſcilicet, quae e Potentiae ponte *ad Caſtellum qui dicitur ad Sanctum Severinum* nos ducit per locum *le Carceri* nuncupatum, ubi antiquitus forſan erat Circus, quem Romani in unaquaque ex ſuis Coloniis, cujuſmodi ſane Septempeda fuit, conſtitutum volebant, & ubi hodie nundinae fiunt; unde *S. Maria de Mercato* nomen habuit. Templum hoc illud ipſum eſſe ab *Eudone* fundatum agnovit Leonardus Francus praeclarus patriarum rerum Scriptor ſeculi XVI, & P. Gentilius in erudita ſua Diſſertatione (1) antiquitatum Septempedae contra Lilium, qui *Eudonis* templum cum Plebe Septempedana beatae Mariae pariter ſacra confundit.

III. Multum deſudat Lilius [2] ad hanc ſuam opinionem aſtruendam: attamen vi deſcriptionis loci, ubi ab Eudone templum illud fuit conditum, Lilium toto coelo aberraſſe fatendum eſt. Ubi eſt enim templo S. Mariae Plebis Potentia flumen proximum: ubi ſaxum, cui templum adnititur? Ubi Caſtellum, *quod dicitur ad Sanctum Severinum* huic templo propinquum? Templum S. Mariae Plebis fuit (ut conſtans fama eſt) antiqua Septempedanae Eccleſiae Cathedralis; & a Caſtello *ad Sanctum Severinum* diſtat ad minus M. paſſ. *Eudonis* ergo templum ab illo Plebis S. Mariae eſt omnino diverſum. Quid modo dicendum eſt de regio *Eudonis* ſacello in illa Eccleſia S. Mariae Plebis a Lilio invento, quid de picturis gallicis, ſeu burgundicis ibi pariter a Lilio viſis? ſomnia utique ſunt. Certe San-Severinates ſcriptores in templo S. Mariae Plebis *Eudonis* ſacellum, & illas inſignes picturas numquam viderunt, & nuſquam commemorarunt. Equidem Eccleſiam S. Mariae Plebis diligenter perluſtravi; nullibi in ea apparent picturae illae a Lilio ſomniatae. Eccleſiae ſtructura non excedit XIV. ſeculum. In templo vero S. Mariae

(1) Diſſ. dell'antich. Setemp. n.

(2) Lil. P. 1. Lib. v. pag. 158., & Lib. VI. pag. 163.

Digitized by Google

riae de Mercato, ne veſtigia quidem Eudonis templi ſuperſunt, & picturae in hoc templo, quod ab Eudone fuit aedificatum, non in Eccleſia S. Mariae Plebis apparere debebant a Lilio confuſo cum templo Sanctae Mariae de Mercato. Ad *Eudonis* diploma revertamur.

IIII. Aedificato templo, dotem *Eudo* aſſignavit; & quidem non modicam cum voto ſuorum *Conſacerdotum*, & *Cardinalium presbyterorum*. Coetus iſte *Conſacerdotum* in Cathedrali Camerini Eccleſia nos certiores reddit ibi fuiſſe conſtitutam unam ex illis Canonicis, quae ea tempeſtate in ſingulis ferme Italiae Civitatibus florebant: idem enim ſonat *presbyteri Cardinales*, ac *Canonici*, *Canon* erat diptychon, ſeu index, in quo deſcribebantur Clerici ad altare praeordinati, qui *Canonici* fuerunt appellati, quia minoribus Eccleſiarum, quibus erant adſcripti Clericis praeerant. Quia vero ſacra Concilia Clericos prohibuerunt duabus Eccleſiis inſervire; immo vero ſtatuerunt, ut illi Eccleſiae, cui primitus adſcripti fuerant, perpetuum, & ſtabile ſervitium impenderent, *Cardinales*, quaſi Cardines fuerunt appellati; erantque principes inter Clericos. Quo factum eſt, ut quemadmodum Clerici, quorum nomina in ſacris diptychis erant ſcripta *Canonici* vocati ſunt; iſti etiam qui ſtabiles, firmi, & alicui Eccleſiae perpetuo erant addicti, tamquam inter Clericos praelatâ auctoritate, *Cardinales* vocarentur. Haec animadvertit Abbas Caeſar Benvenutus V. C. (1) in ſuo tractatu de Clericis communem vitam degentibus. Nec vero Clerici erant tantum *Canonici* dicti, quia in Eccleſia Canone adſcripti habebantur; (haec enim eſt litteralis *Canonici* nominis interpretatio) ſed quia juxta ſacrorum Canonum [2] Patrumque diſciplinam vitam vivebant communem, habebantque *communem menſam*, *commune dormitorium*, *ſtallum in Choro*, & *vocem in Capitulo*; quae ſunt Canonicorum regularem vitam degentium characteres.

V. Ex iis Canonicis, quae x. ſeculo florebant, praeter illam *Eccleſiae Cathedralis Camerinenſis* fide diplomatis *Eudonis*, in quo octo Canonici cum Archidiacono, & Archipresbytero obſignati leguntur; altera forte erat conſtituta *in Eccleſia S. Venantii* in ſuburbio Civitatis; de quibus egimus in Diſſertatione praeliminari. [3] Pari Canonica diſciplina vivebant Clerici *Eccleſiae Septempedanae* S. Severini, probaturque ex Apoſtolicis litteris Alexandri III, & Imperiali Di-

(1) Benven. Tratt. della Vita comune de' Cher. Diſ. III. §. 1.

[2] In Concil. Ticinenſi ad annum 818. praeſcribitur, *ut Epiſcopi in Civitatibus ſuis proximum Eccleſiae clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum Clero ſecundum Canonicam Regulam Deo militent*. Muratori. rer. Ital. Tom. II. P. II. pag. 153. & in Concil. Rom. ad ann. 826. Cap. VII. apud Labb. Tom. VIII. praeſcribitur ut *omnibus ſit unum refectorium & dormitorium*.

(3) Diſſ. praelim. Cap. VI. n. II.

Digitized by Google

Diplomate Friderici I. Imperatoris. Hujus Canonicae originem antiquissimam putamus. Id sub Episcopo Ugone I. fusius videbimus. In Appendice singula documenta proferuntur. Alia pariter Canonica certo documento probatur *in Ecclesia S. Venantii Fabriani*, quae nunc Cathedralis honore gaudet, de qua alias agemus. In nostris etiam partibus alia *Canonica* regulari ordine coadunata illa erat, quae in agro Cingulano jacet adhuc *ad divi Coronati*, quae *SS. Quatuor Coronatorum Canonica* hodie nuncupatur. [1] Sorte in Tabulario S. Severini documentum reperi ad rei veritatem confirmandam; & est transactio inter Abbatem Coenobii S. Mariae Vallisfocinae, de qua infra, & Priorem dictae *Canonicae* super exortas inter ipsos controversias. Habes documentum in Appendice ad ann. 1209. Hae Canonicae & forsan aliae seculo x. in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis jampridem constitutae Canonica regularitate defecerunt, [2] ad quas restaurandas in nostris partibus cum Episcopi, tum Viri sanctissimi, S. Romualdus Abbas [3] & S. Petrus Damianus [4] curas impenderunt suas.

VI. Tandem ab ipso *Eudonis* documento nonnulla ad profanam eruditionem nostrae Antiquae Dioeceseos spectantia postumus haurire. Ibi enim *Castaldiae Septempedanae* memoria habetur, de qua laudatus P. Gentilius in sua Dissertatione. (5) Septempeda siquidem Civitas fuit ex antiquissimis Piceni a Sabinis populis forte jam condita, & a Graecis Siculis amplificata: postea vero anno ab U.C. 570. juxta calculum nostri Raphaellii (6) a Romanis in Coloniam deducta. Postquam Langobardi, subacta Italia, Piceni gubernationem permutarunt, Consulumque, Praesidum, Correctorum, aliorumque Magistratuum ordinem proscripserunt, substituerunt in Piceno, & in tota Italia Duces, Comites & Guastaldos; & horum regimen Septempedae praesertim Civitas habuit, & obtinuit circa finem VI, & *initium* VII.

(1) Amicissimus Raphaellius autumat antiquos Cingulanae Ecclesiae Canonicos a S. Exuperantio postremis v. seculi annis Cinguli Antistite originem suam duxisse, eversa postea Ecclesia Cathedrali, municipioque multum attrito, in Colonias fecessisse; & ad *S. Coronatum* nonnullos, coeteros ad Ecclesiam S. Mariae in fundo Trividiani (pagus est M. circ. pass. ab Urbe Cinguli distans vulgo *Trovoggiano*) se recepisse. Ibi expectata diu jacentis Episcopatus restauratione ab exterorum incursionibus usque ad extremum XIV. Christiani seculi ab inclinato Romano imperio Italiam miserrime vastantibus cum maxime impedita, certas demum sibi sedes, Prioresque suos in coloniis illis constituisse. Veterum Cingulanorum Antistitum monumenta persequens admodum eruditè haec profert doctissimus Raphaellius litteris iis, quas litterariis ephemeridis Florentinis anno 1572. inseruit cl. Lamius Tom. XIII. a n. 31. ad 39.

[2] Benvenut. ubi supr.

[3] Vit. S. Rom. cap. 35. a Dam. scripta.

[4] S. Jo. laud. vit. S. Petri Dam.

[5] Gentil. Dissertat. dell'antich. Sett. temp. n. 111.

[6] Degli antich. Picent. ms.

Digitized by Google

VII. seculi, ut idem Gentilius judicat; idque ad magnum suae Patriae decus refundit. Jacebat Septempeda, ubi nunc templum Sanctae Mariae Plebis situm est, eratque forte Septempedana Ecclesia Cathedralis [1] Septempedani vero, postquam catholicam Fidem sunt amplexati, suos habuere Episcopos usque ad annum cir XI. belli gothici paulo post obitum S.Severini die nempe 26. Aprilis anni 543. Quo vita functo, ejusque in Episcopatu successore, Ecclesia Cathedrali, & Episcopio hostili incursione, aliisque aerumnis vastato, Episcopi defecerunt.

VII. Revixit tamen, ut ita dicam, Septempeda, non VII. seculo, ut multi usque adhuc opinati sunt, sed postquam Sanctus Episcopus ad superos evolavit, & quando sacrum ejus Corpus ad montem Nerium translatum fuit. In sequenti Capitulo omnes confusiones in actis hujus S. Antistitis intrusas tollemus.

VIII. Post *Eudonem* Episcopum habemus *Petrum*, cujus meminerunt acta Conciliabuli [2] contra Jo. XII. habiti *963.*, & acta alterius Concilii [3] Romae pariter habiti anno *967.*, in quo *Petrus* ita se subsignat = *Ego Petrus Episcopus Camerine Ecclesie ibi fui, & subscripsi* = Eginus Monachus ad hunc Episcopum acta dedit Sancti Ansovini.

[1] Regioni, ubi sita est Ecclesia Sanctae Mariae Plebis *Septempedae* nomen hodieque haeret. In literis Apostolicis Celestini III. memoratur *S. Stephani de Septempeda Ecclesia*; in aliis Gregorii IX. *Ecclesia Septempedae*, quam illam S. Mariae Plebis esse judicamus. Apostolicas has literas damus in Appendice.

(2) Labb. Collect. Concil. Tom. XI.

(3) Mans. Suplem. Concil. Tom. I. pag. 1149.

CAPUT VII.

De S. Severini Episcopi Septempedani emortuali die, & anno; illiusque Sacri Corporis translatione, & inventione.

I. Emortualis S. Severini dies est 26. Aprilis ex antiquissimis actis scriptis ante VIII. *seculum, quae postea confusa sunt cum actis S. Severini Abbatis Noricorum Apostoli.*

II. Perpenditur quare incertus Sancti Severini Septempedani dies emortualis habeatur.

III. Confusio actorum S. Severini Septempedani cum illis S. Severini Abbatis diluitur a cl. Can. Mazocchio.

IV.

IV. Firmatur dies emortualis S. Severini ad diem 26. Aprilis, ille S. Severini Abb. ad diem 8. Januarii.

V. Annus emortualis S. Severini Septempedani fortè fuit 543.

VI. Dies 26. Aprilis a Septempedanis assignatus est diei ejus inventionis; & est orta confusio; ad quam dirimendam investigatur dies illius translationis ad montem Nerium; & probatur translatio facta viginti post ab ejus obitu dies.

VII. Origo novi oppidi San-Severini.

VIII. Aera inventionis primae Corporis S. Severini.

IX. Etymon nominis Castri San-Severini.

X. Duae fuerunt inventiones Corporis S. Severini; utriusque inventioni, aera firmatur.

I. QUod in praecedenti Capite circa *acta* S. Severini, illius *emortualem diem*, *& annum*, ejusdemque sacri corporis *inventionem*, & *translationem* strictè protulimus, in hoc capitulo luculentius tractare opere praetium ducimus, ad omnes confusiones in actis illius Sancti a vulgo insertas, & a scriptoribus relatas, quoad fieri potest, diluendas.

De emortuali S. Severini Episcopi Septempedani die quaestionem facere, illumque quasi incertum perquirere supervacaneum esse videtur; quum antiquissima acta illius Sancti certiores nos reddant, diem XXVI. Aprilis fuisse Sancti illius emortualem. Haec antiquissima acta edita sunt a Bollando (1) ad diem octavam Januarii. Illa excerpsisse fatetur vir ille diligentissimus ab antiquis codicibus, quibus prius usus fuerat Boninus Mombritius, quaeque Adonis tempore florentis seculo medio supra nonum confusa habebantur cum actis Sancti Severini Abbatis Noricorum Apostoli, & Victorini Martyris SS. Maronis, & Eutichetis socii. Ab hac oborta confusione in errores lapsus creditur Ado non solum, sed & auctor parvuli antiqui Martyrologii Romani, quo in lucem primus edidit P. Rosweidus, & postea cl. praesul Dominicus Georgius Adoniano Martyrologio a se illustrato praeposuit: & auctor illius Martyrologii floruit, ni labente VII. seculo, certissime sub initio subsequentis VIII. Si ergo saltem sub initio VIII. seculi fuit Martyrologium istud elucubratum, & ad illa tempora acta S. Severini erant confusa, innegabile videtur ante VIII. seculum acta Sancti Severini, & Victorini fratrum fuisse jam scripta. Quod si auctor horum actorum fatetur se *a fideli auctore comperisse ea, quae in historia misit, ne lateret homines*: sole cla-

(1) Acta SS. mens. Jan. Tom. 1. ad diem VIII. Comment. praev. ad act. S. Sev. Septem. num. V. pag. 499. edit. Ven.

Digitized by Google

clarius apparet acta SS. Severini & Victorini ab auctore VI. ſeculi vel VII. fuiſſe compoſita. Acta haec non ſolum in Bibliotheca Vaticana Palatina (1) exſcripta ſeculo IX. aſſervantur; ſed antiquiſſimis in Codicibus habentur apud PP. Societatis Jeſus Fuldenſes, ad Sanctum Maſſimilianum apud Trevirenſes, & alibi, ut nos monet Bollandus. (2) Tenendum propterea eſt auctorem antiqui parvuli Martyrologii Eccleſiae Romanae, ipſumque Adonem ex illis actis elogia ſupradictorum ſanctorum hauſiſſe. Factum exinde eſt utroſque Martyrologos per illa tempora tam inculta, & ſupinâ ignorantiâ plena, quamplura acta intruſiſſe mendoſa, & corrupta in elogiis ſuis. Ea de cauſa Ado confundit acta Severini Abbatis cum illis noſtri Severini, tacuitque in Martyrologio ſuo *Severinum*, & *Victorinum* fratres *fuiſſe Picentinae accolas provinciae, qua Vadoſus Fluſor praeterfluit Septempedam*, (3) quod habetur in noſtris antiquiſſimis actis: alias quomodo poterant commiſceri acta cum illis SS. Severini Abbatis, & Victorini Martyris, SS. Maronis & Eutichetis ſocii? Tanta ergo auctoritate pollent antiqua acta noſtrorum ſanctorum, ut pene a coaevo ſcriptore edita fuiſſe poſſimus aſſerere, ideoque quicquid ſcriptum reperimus, quod non conſonet cum actis iſtis, ni velimus contemnere, ſaltem cautè eſt admittendum, quum argumentari poſſimus ab antiqua venerabilis Eccleſiae S. Severini traditione profluxiſſe; & illius tam illuſtris, & antiquae Eccleſiae traditio prae oculis habenda eſt, nec omnino deſpicienda. Attamen antiquiſſima illa acta fugerunt Baronium, qui in novo Martyrologio Romano S. Severini Septempedani memoriam recolit ad diem VIII. Junii ſic: *In Piceno S. Severini Epiſcopi Septempedani* = & Eccleſia ipſa S. Severini emortualem illius diem recolit ad diem VIII. Januarii, feſtumque habet diem illum de praecepto, ut dicunt, ſervandum, cum Octava, & Vigilia.

II. Quid ergo in cauſſa eſt, cur obitus S. Severini, qui aſſignatus eſt ab antiquis actis diei XXVI. Aprilis, hodie habeatur ſic incertus apud omnes pene ſcriptores, (excepto Leonardo Franco V.C.

O pa-

[1] Signat. num. 846.

[2] Act. SS. ubi ſup.

(3) Quid ad haec Cluverius (Tom. I. Ital. antiq. Lib. I. cap. II.) quid Lucas Holſtenius (annot. Ital. antiq. Cluv. fol. 733.) quid Lilius [P.I. Lib. III. pag. 95.] quod & alii cum Cancellotto (Vit. di San Sev. Lib. I. Cap. II. pag. 21.) qui *Fluſorem* fluvium *a Potentia* diverſum judicant? *Vadoſus Fluſor praeterfluit Septempedam* habent antiquiora acta SS. Severini, & Victorini caeteris actis praeferenda. Optime igitur P. Gentilius (Diſſ. dell'Ant. Settemp. a num. IX. ad XII.) aſſerit idem eſſe *Fluſorem* flumen ac *Potentiam*; & ſumma eruditione ſuam ibi ſententiam tuetur. In antiquis geographicis tabulis *Fluſſor* inter *Tinnam* & *Potentiam* locatur. In aliis antiquis fluvius *Potentia flavius Potentinus* nuncupatur. Forte quia prope Potentiam Civitatem currebat.

Digitized by Google

patricio San-Severinate florente ſeculo XVI., qui aperte ſcribit = *Sanctus Severinus gratam Deo animam exalavit vi. Kalendas Majas* =) ut ipſe Bollandus, qui Acta illa prae oculis habuit, & vulgavit, ſic videatur de emortuali S. Severini die fluctuare, ut ſcripſerit: [1] *S. Severini Epiſcopi Septempedani hac die* (*nempe* XXVI. Aprilis) *dicitur in actis obiiſſe, ut ex actis patet, niſi vitiata ſint: nullum enim e noſtris Martyrologiis ejus hic meminit.* Id tenendum eſt evenille ab illa actorum confuſione, quam ſupra memoravimus, ad quam diluendam juvat hic proferre quod de *S. Severino Septempedano* animadvertit celebratiſſimus Canonicus Mazochius in notis ad marmoreum Calendarium Neapolitanum ab ipſo doctiſſimè illuſtratum. (2)

III. „ Verum nihil in ſanctis uſitatius (ſic ille) quam quod ſi-
„ ve unum in duos diſpeſci contigerit, ſive duos in unum commi-
„ ſceri. Id quod duobus his Severinis accidit, quod ſequior aetas
„ primo in unum confudit. Reperitur ea primum confuſio in anti-
„ quo Romano Martyrologio Roſweidano, in quo ſic legitur = *Neapoli S. Severini Confeſſoris S. Victorini Fratris* = Hujus Martyrologii auctoritas impoſuit Floro primum, mox Adoni, & Uſuardo. Sed iidem tamen hunc ex duobus conflatum pro Confeſſore (quod illi elogium in Roſweidano tribuitur) Epiſcopum fecerunt, nec immerito; nam ſi is, quem Neapoli poſuerunt, S. Victorini frater erat, Epiſcopus eſſe debuerat.

„ At hos poſtremos ita ſecutus eſt in hodierno Romano Baro-
„ nius, ut in majores difficultates lectorem conjecerit, qui hoc die
„ ſic poſuit = *Neapoli in Campania S. Severini Epiſcopi fratris Beati Victorini Martyris* (immo Confeſſoris, ut in Adone, & Uſuardo legitur) & rurſus paucis interjectis = *Eodem die apud Noricos S. Severini Abbatis .... ejus corpus apud Lucullanum .... poſtea ad Monaſterium S. Severini translatum eſt* = At die VIII. Junii ſic
„ rurſus Feſtus inſcripſit = *In Piceno S. Severini Epiſcopi Septempe-
„ dani* = En, ut poſtquam aevi ſequioris barbarie ex duobus Seve-
„ rinis unus coaluerat, rurſus doctiſſimi Cardinalis plura circumſpe-
„ ctantis πολυμαθεία factum eſt, ut is non tantum in duos, ſed in tres
„ etiam ſcinderetur? Nam ex ejuſdem adnotatis ad VIII. Junii non
„ eſt dubium, quin illum, quem die VIII. Januarii Neapoli poſue-
„ rat (quod Florus, Ado, Uſuardus de loco ſepulturae, non de
„ ſede intellexerunt) pro Epiſcopo Neapolitano habuerit. Quem
„ vero eadem die ſecundo loco inſeruerat, hunc pro illo habuerit,
„ cujus corpus hodie a Caſinenſibus Neapolitanis colitur: ac poſtre-
„ mo

[1] Acta SS. Tom. III. menſ. Aprilis fol. 457.

[2] Ad diem VIII. Jan. pag. 6. & 7. in notis ad Kalend. Neapol.

„ mo die VIII. Junii ab utroque Episcopum Septempedanum diver-
„ sum fecerit: & si non difficeatur, fieri potuisse, ut Septempe-
„ danus, ac Neapolitanus Episcopus unus idemque fuerit ob similes
„ de utroque narrationes, & quod utrique Victorinus frater fuisse
„ dicatur.

„ Jam vero, qui post Baronium scripsere, non dubitabant Se-
„ verinum inter Episcopos Neapolitanos agnoscere, (etsi refragan-
„ te Jo. Diacono, qui nullum Severinum recenset) eumque tum a
„ Norico Severino, tum a Septempedano diversum. Sed eum er-
„ rorem distulit omnium primus Philippus Ferrarius in Cathalogo
„ Sanctorum Italiae, nec defuisse tamen, qui ut quocumque modo
„ Severinum aliquem Cathalogo nostrorum Episcoporum adscribe-
„ rent, duo ei nomina fuisse dictitarent; ac = *Maronem Severi-*
„ *num* = fuisse appellatum: de quo vide dicta ad XV. Junii, ubi de
„ S. Marone.

„ Ergo qui hoc die Martyrologiis adscribitur, is non Episco-
„ pus, sed Pater Monacorum, & Apostolus Noricorum fuit, non
„ ob aliam causam Neapoli positus, quam, quia ejus corpus, sive
„ Neapoli, sive proxime in Lucullano condebatur. Id vero ex Eu-
„ gypii vita constat, apud quem Severinus Noricus hoc ipso die
„ obiit, cui hi fasti marmorei adstipulantur, qui hoc die Severi-
„ num (hunc vero non Episcopum) inscripserunt, & quidem cum =
„ *Depositionis* = nota.

„ At dixerit aliquis, etiam Severinum Septempedanum hoc
„ die in Coelum emigrasse; (ut ex ejus actis constat apud Bolland.
„ hoc die pag. 501. num. 10. saltem ex fide ms. Belfortii) proinde
„ recte hoc die in Martyrologiis antiquis positum Severinum Epi-
„ scopum S. Victorini fratrem; hoc est illum Septempedanum. Ve-
„ rum in editis Septempedanis actis mortuus is scribitur V. Kalend.
„ Majas; idque rectissimum est. Coeterum quid sibi non licere
„ passi sunt librariorum semidocti? Is certe, e cujus manu ms.
„ Belfortianum fuit, cum persuasum haberet Septempedanum non
„ diversum fuisse a Norico, sive omnino ab illo, qui die VIII.
„ Jan. colebatur; hinc eo audaciae processit, ut in Septempedani
„ vita diem emortualem refringeret, vitiaretque = Haec Mazo-
chius disertissimus, & quidem ad rem nostram. Ecce acta *Severini Septempedani* vindicata, & difficultates circa plures *Severini* nomine insignitos explanatas.

IV. Obiit ergo Severinus Abbas Noricorum Apostolus die VIII. Januarii, Severinus noster die XXVI. Aprilis inconcussa auctoritate antiquorum actorum, cultusque utrorumque sanctorum confusus fuit,

Digitized by Google

& emortualis dies Severini Abbatis Severino Epiſcopo noſtro aſſignatus. In noviſſimo Martyrologio Romano Severino Septempedano affixus fuit dies emortualis diei VIII. Junii, qui in Eccleſia Sancti Severini dies eſt inaugurationis illius Templi habitae evocatis ad ſolemnitatem duodecim Epiſcopis ipſo die VIII. Junii anno 1198. (1) Coeteri Scriptores diem VIII. Januarii emortualem illius Sancti volunt: factumque proinde eſt, ut & ipſi Antuerpienſes Agyographi ancipites facti de emortuali noſtri Severini die, quamvis certum habeant in actis a Bollando vulgatis, quaſi ſententiam revocantes ſcripſerint: *Sancti Severini Epiſcopi Septempedani hac die* [nempe XXVI. Aprilis] *obiiſſe, ut ex actis patet*: deinde ſubdunt: *niſi vitiata ſint*: Ecce dubitatio; & dubitationis reddunt rationem addendo: *Nullum enim ex noſtris Martyrologiis ejus hìc meminit*. Sed confuſionis perſpecta origine, acta S. Severini fide digniſſima ad hanc aeram firmandam ſingulis Martyrologiis ſunt praeferenda.

V. Aerâ igitur obitus S. Severini firmatâ, quam Cancellottus (2) invenire non potuit, & ad VIII. Januarii diem firmavit, quia prae caeteris dies hic habetur feſtus ab Eccleſia San-Severinate, cultuſque illa die S. Severino praeſtitus eſt immemorabilis; juvat nunc inveſtigare, quo anno Sanctus noſter obierit. Laudatus Cancellottus refellit illorum ſententiam, qui volunt Severinum ad ſuperos evolaſſe anno 541; nam, ſi, ut ipſe recte ratiocinatur, a Vigilio Romano Pontifice Severinus fuit Epiſcopus ordinatus anno 540. ſub initium menſis Julii, non potuiſſet utique Severinus ſex circiter menſium ſpatio Picenam provinciam perluſtrare, quinque fundare Monaſteria, unum aedificare Xenodochium, ſuam Eccleſiam reſtaurare, & quam pauperem invenerat ditiſſimam relinquere, pleraſque Canonicas reficere, & ad integritatem reducere. [3] Cancellottus hìc poſteriora ſequitur, acta, quae non illam antiquitatem redolent, quam prima. Inſuper ſi Totila, vix Beliſarii a Bizantio in Italiam reditu intellecto, cum ſuis copiis in Picenum ingreſſus Auximum forti obſidione vallavit, quod & aliis imperialibus Civitatibus fecit; probabili conjectura tenendum eſt, etiam Septempedam, quamvis illam Scriptores belli Gothici praetereant, ſimilibus oppetitam remanſiſſe calamitatibus. Quumque communi ſententia habeatur S. Severinum ſuum obiiſſe diem biennio ante vaſtitatem Civitatis, concludit Vir ille eruditus Severinum obiiſſe anno 543., quia Se-

(1) Act. SS. Tom. III. Aprilis pag. 457.

(2) Vit. di S. Severino Lib. III. Cap. VIII. pag. 135.

(3) Ubi ſupra Cap. VIII. pag. 131. & Boll. act. SS. ubi ſupra in adden. ad menſ. Jan. die VIII. fol. 1107. num. 10.

Digitized by Google

Septempeda a Gothis disjecta fuit anno 545. Noster Pater Gentilius in sua erudita Dissertatione (1) luculenter agit de Septempedae vastitate, & de novo Oppido *Sancti Severini* nomine iterum excitato. Septempedae desolationem probabilius cum Cancellotto evenisse putat Scriptor iste diligentissimus, quum a Totilae copiis vastatum Picenum fuit. Fasti Consulares ab Idacio Episcopo compositi, & a Clarissimo Sirmundo editi id firmare videntur: in his enim habetur = *Indict.* 8. *P. C. Basilii anno iv. Totila vastato Piceno, pergensque ad Auximum vincit* = quod ab annotatore Baronii refertur ad annum 545. quo anno Totila Firmum, & Asculum vicit; eodemque forte anno Septempeda fuit desolata. Quia vero Totila iterum a Piceno ad Umbros regressus est, ut scribit Aretinus (2), ideoque, ni prius, quando ad Umbros a Piceno rediit, potuit etiam corruisse Septempeda. His rationibus, quae Cancellotti sententiam firmant, potest conjici Severinum e vita migrasse anno 543; quia, vivente Severino, Septempedae vastitatem plerique scriptores non admittunt. Progreditur deinde accuratissimus Gentilius; & prae oculis habens posteriora acta S. Severini ibi legit Angelum Domini triduo, antequam e vivis discederet, S. Antistiti apparuisse dicentem = *Viaticum sume, nam die tertio, scilicet dominico carnem ex relicturus* = (3) cumque putaret Gentilius noster emortualem S. Severini diem fuisse VIII. Januarii cl. P. Rugerium Boscovich opportunè consulens ab eo scisitatus est, quo anno, regnante Totila, dies VIII. Jan. Dominico die occurrebat: &, calculo facto, respondit vir ille celebratissimus anno tantum 540., & 545. diem Jan. VIII. fuisse Dominicum. Unde factum est, ut amicissimus Gentilius, relicta aera 543: anni, ad alteram 545. deflexerit, & firmaverit anno 545. Severinum sanctissimè obiisse. Id si verum esset, eodem anno, quo supremum diem obiit S. Severinus, supremam pariter sustinuisset vastitatem Septempeda. Et ecce biennium illud ab obitu Severini ad Septempedae desolationem volitum penitùs rejectum. Ambo hi Scriptores ad haec acta S. Severini recolenda posterioribus actis usi sunt, posthabitis antiquioribus. Ideoque Cancellottus *legationis* munus in Piceno exercuisse S. Severinum, (quae vox *legationis* per illa tempora audita non est, illudque munus fabulosum reddit) asserit auctoritate recentiorum actorum. Coetera vero S. Pastoris pietatis monumenta non sunt despicienda. Forsan vera erunt, sed, ad illa admittenda, documenta deficiunt. Gentilius pariter cum Cancellotto a re-

(1) Dissert. dell'Antich. di Settemp. n. LI. pag. 49. e seg.

(2) De Bell. Goth. Lib. III. pag. 609.

(3) Bolland. AA. SS. Tom. I. Jan. in addend. fol. 1007. num. 20.

Digitized by Google

[1] a recentioribus actis hausit angelicam apparitionem, & praenuncium mortis; sed haec omnia velut S. Ecclesiae Septempedanae traditiones recipimus. Attamen nil certi nobis ii Scriptores exhibent ad annum emortualem S. Severini firmandum, quum nil certi haec documenta contineant: quod secus esset, si acta illa in antiquioribus legerentur. Quumque in antiquis actis aperte habeamus S. Severinum die XXVI. Aprilis, non die VIII. Jan., neque VIII. die Junii ad coelestia regna migrasse; nemo non videt ad annum emortualem S. Severini firmandum perquirendum potius esse, quo anno dies Dominicus occurrat, Totila regnante, die XXVI. Aprilis: &, admissa, ut vera, traditione Ecclesiae S. Severini relata in posterioribus actis, quae a laudatis scriptoribus excipiuntur, inveniemus anno 543. Dominicum diem cadere ad diem XXVI. Aprilis; ideoque annum hunc 543. argumentamur emortualem fuisse S. Severini, ut conjicit Cancellottus. Lilius [2] multa congerit de S. Severino. Natalem illius diem ante annum 500. incidisse scribit. Addit postremis Vigilii PP. annis fuisse Episcopum ordinatum; & suum obiisse diem anno 568. nemo non videt multa indigere correctione Lilii sententiam.

VI. At enim; quomodo in San-Severinate Ecclesia sic evanuit emortualis diei S. Severini memoria ad diem XXVI. Aprilis, ut nullus hoc die S. Severino cultus habeatur, quamvis Francus supra laudatus aperte scribat, S. Severinum ad Coelum evolasse die XXVI. Aprilis? Non est utique verum, quod in Ecclesia San-Severinate nullus illa die *Severino* exhibeatur cultus: exhibetur quidem; non tamen ad recolendum illius emortualem diem; sed ad ejus sacri corporis *inventionem* celebrandam. Hic vero orta pariter confusio est, ad quam adimendam peropportunum nobis est investigare quò, & quando sacrae Severini exuviae fuerint translatae: & illico ab antiquis actis certiores reddimur, *ad locum in quo* Severinus *habuerat Monasterium illius corpus fuisse translatum*. Igitur non in Ecclesia Cathedrali Septempedae, sed *in loco, in quo habuerat Monasterium*, vel, ut Ado (3) scribit, *ubi abstinentissimus vixit* S. Severinus fuit contumulatus. Quando? Ad acta confugiamus, ut rem promamus. Acta habent *Idibus Majas* depositionem S. Severini, nempe sepulturam contigisse: ideoque Mombritius fide actorum scribit = *Idibus Majas ejus depositio celebratur, licet & Kal. Maji, quibus est adeptus Sacerdotium turba conveniat*. Corrigantur interea scriptores illi, qui

[1] Antich. di Settemped. n. XXXVIII. Pag. 36.

[2] Lil. Par. 1. Lib. IV.

[3] Adon. Martyrolog. die VIII. Jan. pag. 34.

Digitized by Google

qui volunt, Severinum anno 540. ordinatum fuisse Episcopum a Vigilio Romano Pontifice sub initio mensis Julii. Post viginti ergo dies ab obitu S. Pastoris sacrum ejus corpus translatum fuit *ad locum in quo habuerat Monasterium*, ad montem scilicet Nerium, ut differentes de S. Victorino conjecimus.

VII. Mons iste per illa tempora credendus est undique arboribus coopertus, accessu difficilis, & propterea tutus. Illuc confugisse e Septempedanis permulti, Gothorum incursione superveniente, locumque selegisse eminentem, absconditum, & opportunum ad eludendas barbaricas irruptiones credendi sunt. Septempedani, non quidem diu, sed illico, moras suas in Monte Nerio statuisse, & excitatis ibi parvulis casis fundamenta novi oppidi jecisse, quod deinde, amplificato castro, *Castrum regale*, ut fama est, dixerunt, probabili conjectura tenendum est. Translatio igitur Corporis S. Severini circa medium sextum seculum, die videlicet xv. Maji anno 543., ad Montem Nerium origo fuit ortus novi castelli, quod pedetentim excrevit. Quomodo enim assurgere poterat novum Oppidum per illa tempora, quibus & bella truculenta, pestifera lues, fameque saevissima pene universas Italiae Civitates desolabatur: Langobardicis paulo post supervenientibus incursionibus, quae ad extremam redigerunt Picenum desolationem?

VIII. Sancta Severini Lipsana ab Ecclesia Cathedrali Septempedana, non ab Ecclesia S. Laurentii, ut scribit Lilius (1) ad Montem Nerium translata sunt, & condita post dies ab obitu S. Severini xx. Magnum id nobis exhibet argumentum ad Severini sanctitatem celebrandam cultus iste praestitus a populis Severino; ut retardata idcirco translatio & depositio dicenda sit, quia, ut acta habent, *Velut ex omni orbe devoluta convenit multitudo, occurrunt plurimi Sacerdotes, ut & devotionem deferant, & benedictionem.* Anno ergo 543. emortuali S. Severini potuit tanta gens convenire ad illius sacrum Corpus venerandum. Labente vero sexto seculo, vel ante medium septimum desolatâ Provinciâ ob enunciatas calamitates, quae gens accurrere poterat ad cultum S. Severino praestandum? Posthac vero Picenum, & vicinae regiones iterum frequentatae sunt, Castrum S. Severini aedibus auctum, oppidumque constitutum. Quo enim loco tutius, & commodius Septempedani ad res domesticas restituendas, ad culturam campis adhibendam, quos vel aquis inundatos, vel vepribus, arboribusque refertos repererant, figere sedes suas potuerunt, quam in Monte Nerio, a quo tota vallis, ubi desolata jacebat Septempeda, longe lateque perlustratur, & prope tu-

(1) Part. I. Lib. IV. pag. 110.

Digitized by Google

tumulum Sancti Severini Paſtoris ſui, erga quem praecipuum fovebant ſtudium, & pietatem? Sic in dies amplificatum eſt Caſtellum, ſylva diſſipata, & *Caſtrum*, ut perhibent, *regale* populoſum factum.

VIIII. Septempedani exinde videntes vel nimis anguſtum Templum, in quo exuviae S. Severini quieſcebant, vel forte vetuſtate labens voluerunt illud vel reſtaurare, vel novum aedificare. Memoria, ubi venerabiles Severini reliquiae jacebant, erat omnino deperdita, locuſque manebat ignotus. Hinc forte evenit, ut venerabile Severini Corpus in illo templo conditum fortuito repertum ſit (ut poſteriora acta habent) & inventum integrum incorruptum, venuſtum, ſummamque praeferens religionem, & majeſtatem, tunc, & non prius tam mirificae inventionis fama undique perſonante = *De tota Marchia omnes infirmi certatim ad S. Severini Corpus accedentes optatae ſanitati reſtituti ad propria cum gaudio remeabant* (1). Poſt ſeculum utique unum Marchia, non ut prius deſolata, & populis vidua, ſed frequentata potuit ad S. Severini Corpus venerandum convenire. Origo igitur amplificationis Oppidi S. Severini per haec tempora figenda eſt. Quae quum ita ſint auctoritate antiquorum actorum S. Severini, evaneſcit *translatio illa*, quam factam dictitant a Plebe S. Mariae olim Septempedae Eccleſia Cathedrali labente ſeculo ſexto, vel ſeptimo ineunte ad Montem Nerium; quum revera una tantum *translatio* facta ſit viginti ab ejus obitu circiter diebus. Sic vera, & unica *translatio* facta Corporis S. Severini ad diem XVI. Maji anni 543. ſpoliata remanebit a nonnullis fabellis, quibus fuit ſequioribus ſeculis exornata, quaeque fingitur facta menſe Novembri contra Eccleſiaſticam illorum temporum diſciplinam.

X. Poſtquam vero S. Severini Corpus in nova Eccleſia fuit reconditum tanto miraculorum apparatu, populorumque frequentia factum eſt, ut turba illa languentium populorum coeterorumque, qui religionis voto illuc accedebant, non ad *Caſtrum regale* acceſſiſſe, vel ab illo rediſſe dicerent, ſed *a S. Severino* redire, & *ad S. Severinum* ire exclamarent. Proinde ejus Oppidi incolae *Caſtri regalis* appellatione ſenſim deficiente, Caſtrum illud *S. Severini* nomine ſubinde dixerunt. Id nobis aperte innuere videtur Eudonis carta fundationis Templi *in honore B. Mariae Virginis in Caſtello, qui dicitur ad Sanctum Severinum* ſpectante ad annum 944.; immo & altera ſub Ugonis I. Epiſcopatu anni 1061., in qua memoratur *Caſtellum ad Sanctum Severinum*, quod Septempedani incolebant; perdurante etiam Eudonis, & Ugonis temporibus vulgo dictum *Caſtellum*

(1) Boll. AA. SS. ubi ſup. & Gentil. Diſſ. di Settemp. n. LVII. pag. 60.

Digitized by Google

lum ad Sanctum Severinum, quod etymon noſtri Caſtelli perbelle deſignat. [1]

XI. Supereſt nunc alias confuſiones a ſcriptoribus ſuperinductas diluere in ſubſecutis illius ſacri Corporis *inventionibus*. Duas *inventiones* recolit Eccleſia Sancti Severini, primam ad diem XXVI. Aprilis, quam dicunt factam anno *586*; alteram ad diem XV. Maji anno *1576*. Haec *inventio* in dubium revocari nequit: patet enim innegabilibus documentis. Prima vero *inventio* ad annum *586*. non alias probatur quam ſomniis adhibitis. Animadvertimus tamen diem XXVI. Aprilis, qui dicendus eſt emortualis S. Severini, datum eſſe illius ſacri Corporis primae *inventioni*, & ſic confuſa memoria *mortis* cum *inventione*. Inſuper Severini *depoſitionis* memoria recolenda die XV. Maji confuſa pariter eſt cum feſto *ſecundae inventionis*. Prima igitur *inventio* aſſignanda eſt non anno *586*. ſed aliis longe poſterioribus annis. Nova templi reparatio Sancto Severino ſacri fieri non potuit, niſi longe poſt ſeculum ſeptimum: at de hoc nihil certi: certè tamen ante annum *1059*., quo Ugo primus Epiſcopus S. Severino novum templum conſtruxit, deditque ſuum diploma, quod in Appendice damus ad annum *1059*., quo Eccleſiam ab ipſo aedificatam multis privilegiis, & largitionibus locupletavit; idque nos in ſuſpicionem adducit, non longe ab illis temporibus inventum fuiſſe Corpus S. Severini, & in cauſſa fuiſſe, cur Epiſcopus Ugo novum illud Templum a fundamentis erexerit tot privilegiis decoratum. Docti San-Severinates curas impendant ſuas ad acta S. Severini illuſtranda, & a nonnullis fabellis, queis poſteriora acta commixta ſunt, expolianda.

[1] Corrigendus videtur Lilius qui P. I. Lib. IV. pag. 110. ſuae hiſtoriae aſſerit Septempedam, vel vivente S. Severino, vel vita functo excidium evitaſſe aut S. Viri conſilio, & auxilio, aut interceſſione; & Septempedanos ad ſe gratos probandos S. Epiſcopo ſuo commutaſſe Septempedae nomen, & a *S. Severino* voluiſſe illam impoſterum nuncupatam.

LIBER SECUNDUS

SECULUM AMPLECTITUR XI.

DE REBUS A S. ROMUALDO GESTIS IN DIOECESI CAMERINENSI

CAPUT I.

De primo adventu S. Romualdi ad Vallem de Castro.

I. S. Romualdus Abbas mittit nuncios ad Comites Comitatus Camerini pro obtinendo loco ad solitariè vivendum. Agitur de iis Comitibus in notis.

II. In Valle Castri Eremum feligit. Quid ibi S. P. egerit a S. Petro Damiano recensetur. Acta S. Romualdi a Damiano ordine chronologico dantur, & prima tabula chronologica stationum S. P. disponitur.

III. Statuitur aera primae stationis S. Romualdi in Valle Castri.

IV. Quantum adlaboraverit Vir Sanctus in Valle Castri, & ejus viciniis pro animarum salute.

V. Discedit e Valle Castri, & progreditur ad Urbem veterem Vngariam profecturus: prius tamen condit tria monasteria.

I.

Auſto quidem omine noſtram forte regebat Eccleſiam Epiſcopus *Romualdus* ſub initio XI. ſeculi, quum ad ejus Dioeceſim ſanctificandam alter Romualdus Vir Sanctiſſimus anno circ. 1006. ſuos miſit nuncios ad *Comites* [1] Comitatus Camerinenſis, ſeu, ut acta habent Sancti Romualdi, (Ca-

(1) *De Comitibus Camerinenſibus* DISSERTATIO.

OPportunum nobis hic eſt perquirere quinam *Comites* eſſent juriſdictionem habentes in provincia Camerinenſi, ad quos ſuos miſit nuncios beatiſſimus Romualdus, (Dam. in Vit. S. Rom. Cap. XXXV.) ut locum ab illis impetraret ad Eremiticam vitam ducendam accomodatum. Animadvertendum proptera eſt, regimen Camerinenſis provinciae ſeculo XI, quo S. Romualdus florebat, obumbratum nos habere in illo, quod Aegidius Cardinalis Alburnotius *juriſdictionis morem ſolitum, & veteres conſuetudines in hac parte ſequens* in Marchia provincia voluit conſtitutum. Quemadmodum igitur ſeculo XIV. laudatus Cardinalis Marchiam Anconitanam in plures praefidatus diviſit, quorum cuilibet judicem, ſeu praeſidem dedit, ut videre eſt in ſuis Conſtitutionibus [Lib. II.

(Capite xxxv.) *Ad Camerinae Provinciae Comites, ubi terram potuiſſet ad proferendos animarum fructus idoneam invenire.* Solitudinem *Vallis-Caſtri* reperit; ubi Eremum prius, mox Monaſterium fundavit, in quo ſeſe iterum, iterumque reſtituit, intentus ſemper

II. Cap. v. pag. 54. edit. Rom. ann. 1571]; ita ni me mea fallit opinio, tempore S. Romualdi erat diſtributa, in plures ſcilicet comitatus, & in horum quolibet proprius *Comes* jus dicebat: ea pariter lege, qua poteſtates, coeterique minores officiales in Aegidianis Conſtitutionibus enunciati Praeſidi regionis illius, ubi eorum Oppida ſita erant ſubjiciebantur, ea, inquam, lege minores judices, qui ſingulis oppidis, & pagis Camerinenſis provinciae praeerant, ſeu *Comites*, ſeu alio quolibet nomine vocarentur, Comitatuum Comitibus in majoribus forſan oppidis reſidentibus, parebant.

In tres igitur claſſes ſeculo XI. in provincia Camerinenſi videntur *Comites* dividendi. Alii erant *Comites*, qui hoc titulo ornati *Ducum*, & *Marchionum* Spoleti, & Camerini in Civitate *Marchionis* vicem gerebant, & praecario nomine inibi jura dicebant, qui *Comitis* titulo erant decorati, *Ne pares Domino ſuo, qui Ducis, & Marchionis titulo ornabatur, & a quo beneficium acceperant, haberi poſſent*, ut advertit Pratillius. (nota 119. ad Paul. Diac. excerp. hiſt. Tom. I. Cap. XXIX hiſt. princip. Langob. Pellegr.) *Comitis* etiam titulo ii erant inſigniti in noſtra Provincia per illa tempora, qui praecario pariter nomine juriſdictionem habebant in *Comitatibus* inibi conſtitutis, quibus ipſi praerant, ut jus ſuum unicuique tribueretur. Ab Epiſcopo Bellovacenſi lata fuit ſententia anno 1230. die 3. intr. menſe Sept. indic. IV. in quaeſtione inter Archiepiſcopum Ravennatem, & Commune Auximi, cui inter alios teſtes adfuit *Manens Comes Camerinenſis*. Quis fuerit *Comes* iſte, non liquet. Habemus nos in excitata lite inter San-Severinates, & Pyranos meos *Manentem de Trevio Judicem Curiae*, utique *Camerinenſis*, qui mandavit Caſtri Caſavollae vaſſitatem, ut aſſerit unus teſtis anno 1236. examinatus. De hoc Caſtro infra. Vaſſitas Caſavollae referenda eſt ad annum 1234, quo fuit lis delata ad Curiam generalem Vicarii Pontificii. Quid, ſi conjiciamus *Manentem* in charta Ravennate anno 1230. *Comitem Camerinenſem* dictum, eſſe hunc *Manentem de Trevio*, qui *Comes* ſeu *Judex* Camerini pro Matchione praeerat? Quid ſi *Comes Comitatus*? Alii erant qui *territoriales* dicebantur, quorum numerus erat copioſus. De his conſule Annales Camaldulenſes [Tomo II. lib. XXIII. num. X. pag. 75. ad annum 1098, & etiam anno antecedenti 1097. num. VII. pag. 73.] & iſti *Comites* nuncupabantur etiam *ſuburbani*, & in Caſtellis, pagis, amplique territoriis dominabantur abſoluta auctoritate ipſis ab Imperatoribus adtributa, & ii tot erant, ut pene impoſſibile videatur, ad hos ſuos miſiſſe nuncios S. Romualdum. Idipſum dicendum videtur de *Comite* Camerini reſidente: quum apertе Damianus ſcribat, non ad *Comitem* Camerini, ſed *ad Camerinae provinciae Comites* ſuam direxiſſe legationem Venerabilem Romualdum. Superеſt ergo conjicere nuncios a S. Romualdo fuiſſe miſſos *ad Comites Comitatuum*, qui numero tot putandi non ſunt. Hi *Comites*, ut diximus, tenebantur jura tueri ſui Comitatus vel armorum vi, vel legum auxilio; & iſti *Comites* in noſtra Camerinenſi provincia, ſi ſermonem referamus ad montuoſas regiones, in quibus ſolummodo reperiuntur receſſus ad Eremos conſtituendos, perpauci forſan erant: & in noſtrorum montium vicinitatibus *Fabriani*, *Matbilicae Camerini*, *San-Severini*, *Cinguli*, & in *Valle S. Clementis Comitatus* poſſumus argumentari conſtitutos. Omittimus *Comitatus* perquirere trans Cluentis fluvii oram, ubi alios Comitatus conjicere fas eſt, ſolumque *Comitatum Urbis-Salviae* juvat memorare ex infra dicendis. Ad *Comites* igitur horum *Comitatuum* noſtra opinio eſt S. Romualdum nuncios ſuos direxiſſe; &

Digitized by Google

ad Peccatores revocandos; ad Monaſticam diſciplinam in tota Marchia Camerinenſi in Coenobiis undequaque ſparſis reſtituendam, & ſimoniacam luem inoffenſo pede craſſantem extinguendam; ut jure, ac merito Provinciae Camerinenſis Apoſtolus ſit nuncupandus ſummoque in honore ſemper habendus.

II. Res

& hi *Comites* ſubjecti forſan erant Curiae *Marchionis* Camerinenſis, ubi princeps iſte dominabatur, a cujus jurisdictione exempti forſan non erant *Comites* minores, quamvis Imperatorum privilegiis ab omni *Comitum Comitatuum*, aliorumque ſubjectione liberati: quia ut plurimum Marchiones ab Imperatoribus feligebantur, vel ſaltem Imperatorum patrocinio Marchiam Camerinenſem, & Spoletanam regebant. *Comitatum Camerinenſem* ab hujuſmodi *Comite*, qui *Comes Comitatus Camerinenſis* dicebatur, fuiſſe rectum documentis probatur. Idipſum dicimus *de Valle S. Clementis*, in qua *Comes* pariter praeſidebat documentis infra producendis. Fatemur tamen documenta ad id probandum non excedere XIII. ſeculum: attamen argumenta non habemus ad aliter ſentiendum de antiquioribus.

Ad morem hunc illuſtrandum injucundum forte non erit antiquitatum medii aevi amatoribus hiſtoriam hic proferte a meis antiquitatibus Vallis S. Clementis extractam tutis, ſinceriſque documentis innixam, atque firmatam. Pyranus populus labente XII. ſeculo exempla ſequutus italicarum Civitatum, agrum ſuum undequaque frequentibus Caſtris a ſuis dominis gubernatis anguſtiatum videns, quoquo modo poterat dilatare contendit, & Dominos Caſtrorum ad ſeſe Pytum reciendos, & inter nobiles, ut dicebant, Caſtellanos adſcribendos, illuc deductis ſubditis, exemptionibus, privilegiis, publiciſque honoribus decorandos invitabat. Ex iis nonnulli ut *Bonus-Comes de Faſtis* (de hoc Caſtro differimus ſub Ugone I. Epiſcopo noſtro hoc Lib. II. Cap. VI. n. v. in notis) & domini Caſtri *Umbriani*, quod a Pyro D. paſſ. aberat ultro ſe Pyranis dediſſe argumentamur; nullam enim contra haec Caſtra hoſtilem irruptionem factam fuiſſe ſcimus. Caſtrum vero *S. Urbani de Afinante*, de quo ſub eodem Ugone I. infra differemus, a Monachis illius Coenobii dominatum multas a Pyranis perpeſſus eſt calamitates. Quamvis enim Monachi Caſtrum ſuum Pyranis vendiderint anno 1224, ut patet ex documento, quod in Appendice proferimus, Sanct-Urbanenſes gentes ſubjectionem recuſarunt; Unde incurſiones, rixae, contentiones ortae ſunt, quas ſub Raynaldi Epiſcopatu ſeculo XIII. memoramus. Idipſum milites Domini Caſavollae fecerunt (de hoc Caſtro ſub eodem Epiſcopo Raynaldo) qui quamvis ultro ſe Pyrano populo ſubjeciſſent anno 1215; attamen anno 1216., ſubjectione deteſtatâ, ad Sanſeverinates confugerunt, ſperantes nobiles illi Caſa-Caſavollae Domini Pyranos, ne antiquam inter ipſos, & San-Severinates amicitiam, ſocietatemque violarent, non habere averſos. Attamen, in dies illorum nobilium alternante fortuna, forte a Pyranis aſſidue vexatorum, poſt decem decurſos annos, nobiles illi Caſtrum Caſavollae Pyranis vendidetunt publicis confectis tabulis, cum obligatione ſeſe in Oppidum recipiendi, Caſtri deſtruendi, agrique Caſavollae cum ſuis habitatoribus Communis Pyri in poteſtatem redigendi, quod illico perfectum eſt. Quid inde actum ſit legas ſub eodem Epiſcopo Raynaldo. Bella, incurſiones, & hoſtilitates cum Sanſeverinatibus ad annum 1234. perdurarunt, quo lis coram Cardinali de Columna Vicario Pontificio in Marchia Anconitana judiciali ordine coepta fuit; & cum vaſtitate Caſavollae anno 1236. tandem confecta.

Dum autem lis judiciali ordine coram Pontificio Vicario perſequebatur a teſtium dictis ad facti veritatem probandam habemus Johannem de Vico anno 1226. in Valle S. Clementis praeſediſſe *Comitem*; ab il-

II. Res a S. Romualdo geſtas in Dioeceſi Camerinenſi recenſere pendet a duabus aeris ſtatuendis, quibus bis in ea regione Sanctus ille permanſit: illa exceptâ, qua ad *Vallis Caſtri* monaſterium obiturus regreſſus eſt. Duas vero illas aeras, quibus ad animarum pro-

illis vocatum = *Comes Vallis S. Clementis*. Anno poſtea 1234. eundem Johannem de Vico fuiſſe *Comitem Comitatus Camerinenſis* aliis documentis, ſcimus. Quando Johannes praeſidebat Comes Vallis S. Clementis, a Caſavolla expulit San-Severinates, quod Caſtrum ab iſtis paulo ante refectum iterum Johannes ditipuit. Quum vero Johannes de Vico praeeſſet *Comes Comitatus Camerinenſis* anno 1234. Domino Rugerio Comiti Poteſtati San-Severini, & d. Matcho Judici, & Communis San-Severini Sindico litteras exhibuit Cardinalis de Columna prohibens Caſavollae reſtaurationem, quod cum ſidejuſſione Poteſtas, & Sindicus promiſerunt. Tandem ab uno teſte anno 1236. ad examen vocato idem Johannes dictus eſt *Nuntius Curiae d. Johannis Card. de Columna*. Ex his patet eundem Johannem anno 1226. fuiſſe *Comitem Vallis S. Clementis*: anno 1234. *Comitem Comitatus Camerinenſis*; & anno 1236. *Nuncium Curiae Card. de Columna*. Haec ſunt notis digna ad illuſtrandos per illa tempora noſtrae provinciae mores. Inſuper hujuſmodi *Comitum* munus argumentamur temporaneum fuiſſe non perpetuum; vel forte Johannes de Vico a Comitatu Vallis S. Clementis tranſiit ad majorem Comitatum regendum, qualis erat Camerinenſis, ut etiam laudatus Muratorius [Diſſ. lxx. antiq. italic.] animadvertit. At de his ſententiam ſuam proferant eruditi. Ad rem noſtram redeamus.

Ex hucuſque dictis aperte probatur, *Vallem S. Clementis*, & *Comitatum Camerinenſem* ſuos habuiſſe *Comites*: ideoque ad hos utique *Comites* S. Romualdum nuncios miſiſſe rectè poſſumus argumentari; & praeſertim ad *Comitem Vallis S. Clementis*, & ad illos parvulos *Comites* in Caſtellis in ea Valle dominantes. Quum enim Venerabilis Pater in Coenobio Sancti Urbani de Aſſiſinate forte moraretur, ut optimè conjiciunt doctiſſimi Chroniſtae Camaldulenſes [Tom. I. Lib. VIII. n. III.] opportunum tunc illi fuit perquirere per illos montium receſſus locum ad ſolitarie vivendum accommodatum, quem repertiſſe comperimus in *Valle Caſtri* a Monaſterio Sanct-Urbanenſi IV. circ. mill. paſſ. diſſito, in cujus viciniis Caſtra erant *Civitellae*, *Montis Ferrati*, & *Montis Martis*, in quibus dominabantur *Comites* abſoluta forſan auctoritate ab Imperatoribus, illis adtributa; ideoque ad *Comites* iſtos miſiſſe nuncios ſuos Sanctum Romualdum probabilius videtur concludendum. Veritas in facto patet, quia infra horum *Comitum* jura S. Romualdus prius Eremum, mox Aſceterium conſtituit, in *Valle* nempe *Caſtri*, cujus erat dominus Fatolfus Comes *Caſtri Montis Martis*; ut probatur donatione a Fatolfo S. P. facta, & a laudatis Chroniſtis relata (in App. tom. I. num. LXXIV. col. 178.) Aliud etiam condidit Romualdus Monaſterium ad oram Aeſi fluvii, & illud eſt, quod à *S. Helena* nomen habet; in iiſdemque partibus unum parthenonem, de quibus infra diſſeremus; & Aſceterium *S. Helenae* in Valle S. Clementis ſitum fuiſſe in diſſertatione proemiali diximus. Tertium quoque Monaſterium condidit S. Romualdus *prope Oppidum Eſculanum*, & ad hoc exequendum facultatem forte obtinuit a *Comite Comitatus Urbi-Salviae*, in cujus agro forte jacebat tunc *Oppidum Eſculanum*, cujus ſitum Cap. II. hujus libri detegamus conjectatis non contemnendis: ni velimus ſuſpicari a *Comite Comitatus Eſculani* in noſtra Dioeceſi conſtituti veniam ibi Coenobii conſtituendi obtinuiſſe. Has noſtras animadverſiones aequo animo excipiant Eruditi, quorum judicio meam, quam de *Comitibus*, ad quos ſuos miſit nuncios S. Romualdus, in provincia Camerinenſi conſtitutis protuli ſententiam, libenter ſubjicio.

Digitized by Google

profectum Vir ſanctus operam dedit ſtatuere melius non poſſumus, quam ad illius acta confugientes a S. Petro Damiano ſcriptore docto, ſancto, ſincero, & coëvo exarata, quaeque a probatis teſtibus, ab egregiis nempe S. Romualdi diſcipulis, ſe collegiſſe profeſſus eſt; *Ut fidelium devotioni ſatisfaciens ad communem utilitatem recitanda legivo ſanctae Eccleſiae tradidiſſet*. Aſſerit propterea ſe quaſi breve *commonitorum* (1) facere, quod tamen hiſtoriae ordinem non perturbat; quum Sanctus Scriptor aperte aſſerat, actorum S. Romualdi *initium*, *curſum*, & *finem* ſe velle contexere; ideoque falſa illa opinio eſt. Petrum Damianum confuſa nobis, & ſine ordine haec acta tradidiſſe videturque *imperiti hiſtorici* Damianus turpi nota vindicandus: quin immo in iis Chronologicum ordinem conſtanter perſequutum fuiſſe tenendum eſt, ut fuſe in notis ad acta S. Romualdi illuſtrantibus aperte probamus. Sancti igitur ſcriptoris viam nos tenentes non a natali S. Romualdi die chronologicam tabulam hic damus, ſed ab anno, quo illum reducem fuiſſe ſcimus a Coxanenſi Coenobio ad S. Severi Monaſterium, Sergium patrem monaſtico habitu jam indutum correcturum, anno nempe 982; illam proſequimur ad alterum ad Vallis-Caſtri Coenobium reditum; & hanc aeram, alias S. Viri perpendentes ſtationes alibi prius factas, inveſtigare debemus.

TABULA I. (2)

982 E Coxani ſolitudine Ravennam regreditur.
Pergit ad claſſenſes paludes, mox
Ad S. Martini in ſylva.
Apud Baleneum manet.
Non longe a Catria ſtationem figit.
Redit ad Monaſterium Claſſenſe.

In

(1) *Commonitorium* a verbo *commoneo*, ſonat italicè: *eſortare*, *iſtruire*. Ab hoc ergo *Commonitorio* non eſt eliminandus *ordo*, ille, quem Damianus aſſerit ſe velle ſervare in actis S. Romualdi, cujus vitae *initium*, *curſum*, & *finem* exactè deſcribere Damianus proteſtatur. Quod vero *Commonitorium* ſonet *adhortatio*, *inſtructio*, & quid ſimile, ab illis patet verbis Damiani profitentis acta ſe S. Romualdi exaraſſe *Fidelium devotioni ſatisfaciens ad communem utilitatem legenda*. Canonicus Dominicus Magnus in libro = *Notizie de' vocaboli Eccleſiaſtici* = ad verbum = *Commonitorium* = illud explicat = *iſtruzione* = Damianus iterum, iterumque in prologo ad haec acta *narrationis ordinem* ſe aſſerit ſervare: ideoque haec acta *miſcellanea* non ſunt habenda; ſed exacta, & continuata hiſtoria, ordine Chronologico ducta; ut in meis obſervationibus apologeticis ad Venerabilis Viri acta pene ad evidentiam, ni fallor, probare contendo.

(2) Ubi ad S. Romualdi ſtationes annis affixi non ſunt, illarum aera nobis incerta eſt.

Digitized by Google

In Pereo habitat.
996 Otto III. designat Romualdum Abbatem Classis.
998 Abbatiae Romualdus nuncium mittit.
Ad montem Casinum pergit; mox
Ad Pereum redit.
Navigat Parentium.
Ad Bifurcum progreditur.
In Valle Castri stationem figit.
Ad Urbis veteris regionem proficiscitur:
Hungariam versus iter arripit; mox
Ad Classense Coenobium.
Iterum navigat Parentium.
Fauces Callenses, Montem Petranum, illasque regiones perlustrat.
Ad Monasterium Vallis-Castri revertitur.
Manet in Aqua-bella.

III. Prima ergo S. Romualdi statio in solitudine Vallis-Castri in Provincia Camerinensi fuit, quando, relicta Bifurci solitudine, missisque *ad comites* [1] *Provinciae Camerinae* nunciis, illam impetravit. Accessus igitur S. P. ad hanc solitudinem figendus est, postquam anno 1004. a Parentio regressus ad Bifurcum pervenit; ideoque circa annum 1006. figenda est S. Romualdi in Valle Castri prima statio, ut optime docti Camaldulenses conjiciunt. [2]

IV. Quantum in illis viciniis adlaboraverit Romualdus pro animarum profectu audiamus Damianum = *Coepere*, ait, *homines ad poenitentiam hinc inde confluere, sua pauperibus misericorditer erogare, alii seculum omnino relinquere, & ad sanctae conversationis ordinem spiritu fervido festinare ..... Inter coeteros autem praecipue singulares clericos, qui per pecuniam ordinati fuerant, durissima severitate corripiebat, & eos, nisi ordinem sponte desererent, omnino damnabiles, & haereticos asserebat. Qui novam rem audientes occidere illum moliti sunt ..... Constituit vir sanctus plures Canonicos, & Clericos, qui laicorum more seculariter habitabant, Praepositis obedire, & communiter in congregatione vivere docuit. Nonnulli quoque Episcopi, qui per symoniacam haeresim sacras sedes invaserant, ad eum causa poenitentiae concurrebant.* [3]

V. Discessit deinde e Valle-Castrensi Coenobio, & progressus est ad Urbem-veterem; ubi, audito Bonifacii discipuli sui martyrio,

[1] De his comitibus egimus in observatione numeri praecedentis.
[2] Annal. tom. 1. Lib. VII. n. XIV.
(3) Acta S. Rom. Cap. XXXV.

Digitized by Google

rio, *nimio desiderii igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, Vngariam mox ire disposuit; interim tamen, dum in ipsa intentione persisteret, brevi tempore tria constituit monasteria, unum videlicet in Valle de Castro, ubi nunc sanctissimum Corpus ejus est conditum, aliud prope Insinum fluvium, tertium juxta Oppidum condidit Esculanum*. Haec habet Damianus. [1] Ad haec Monasteria constituenda S. Romualdus forsan iterum in nostram Dioecesim regressus fuisse credendus est.

CAPUT II.

De Monasterio juxta Oppidum Esculanum.

I. Perquiritur quale sit hoc Monasterium juxta Oppidum Esculanum.

II. Conjicitur in agro San-genesii in Castro Insulae.

III. Describitur Monasterium Insulae, & argumentatur fundationis Romualdinae.

IV. Et hoc Monasterium fuisse illud conditum juxta Oppidum Esculanum *forte tenendum ex historiae Genesinae auctoritate,*

V. Et alterius Scriptoris;

VI. Qui exhibent collem Esculanum in San-genesio ex schedis archivii illius Oppidi.

VII. Agitur de origine Oppidi San-genesii.

VIII. Firmatur Monasterium juxta Oppidum Esculanum *fuisse illud S. Mariae de Insula in agro Genesino, non juxta Asculum.*

IX. Fundavit S. Romualdus unum Parthenonem in iisdem partibus. Argumentatur in quo loco.

I. PEropportunum nobis hic est perquirere, quanam regione tertium hoc Coenobium juxta *Oppidum Esculanum* S. Romualdus condiderit: communi enim scriptorum sententia illud conditum censetur prope *Asculum* Civitatem, quae medio aevo *Asculum*, & *Esculum* dicta est. Nos vero non solum duo illa priora Coenobia in Camerinensi Dioeceſi, sed & tertium istud conditum fuisse argumentamur.

II. In agro Genesino, (vulgo *S. Genesio*) situm erat castrum *Insulae* a S. Genesii Oppido IV. mille pass. circ. dissitum ad Meridiem, & ad radices pene montium Apenninorum, qui una cum Insula

[1] Cap. XXXIX.

Digitized by Google

ſula ad jura tranſierunt Populi Geneſini in illo Caſtro hodie disjecto dominantis. Erat ibi Monaſterium cum templo *S. Mariae ſacro* in illis partibus adeo venerabile, & illuſtre, ut *Monaſterii ſancti* nomen ſibi, ut fama hominum eſt, a populis vindicarit, quod incolebant Monachi Ordinis S. Benedicti a S. Romualdo, ut pariter perhibent Reformati *Camaldulenſes* poſtea nuncupati. Id nos conjecturis forte non contemnendis infra probabimus.

III. Habemus utique hoc Monaſterium inter ſylvas, horrendamque ſolitudinem, ubi hodie Pagus ſupereſt, qui *Monaſterium* nuncupatur a celebri illo, ac venerabili Monaſterio S. Mariae penitus diſſipato. Supereſt templum S. Mariae ſacrum omnino integrum cum confeſſione affabre conſtructa, & columnis innixa, in eoque Sacerdotium illius Pagi eſt conſtitutum. Prope Monaſterium ad mille paſſus reliquiae ejuſdem Eremi ſuperſunt; in ipſius montis radicibus murorum rudera viſuntur, quae nonnullas cryptas claudebant, quaſi cellulas in illius montis ſcopulis a natura efformatas, in quibus forte *incluſi* diverſabantur eremitae. Nemo eſt, qui neſciat, prope Monaſterium Eremum conſtituere, Romualdinae fuiſſe inſtitutionis. Sanctitas ergo Monacorum illud olim incolentium, Coenobium; loci aſperitas, & ſolitudo, ubi illud eſt conditum, & Eremus Monaſterio proxima, & illarum gentium traditiones Romualdinae inſtitutionis illud eſſe non inepte firmant. (1)

IV. Ego vero ab ipſomet S. Romualdo Monaſterium iſtud fuiſſe fundatum, ni certis, ſaltem probabilioribus argumentis conjicio, & illud eſſe, quod acta volunt a S. Romualdo conſtitutum juxta *Oppidum Eſculanum*. Marinus Angelus Severinus in hiſtoria ſua Geneſina, [2] Oppidi nempe *S. Gineſii* nuncupati, in noſtra Camerinenſi Dioeceſi ſic habet = *Erat tunc* (anno ſcilicet 1230.) *in Oppido S. Geneſii diſtans per ſtadia fere viginti Monaſterium Divi Benedicti in Cippo, modo Villa Vallimaſtra, in qua Moniales ejus ordinis vigebant, quae petierunt a Philippo Epiſcopo Camerinenſi ejus protectionem, ut haberent in eorum neceſſitatibus, quo confugerent, quam gratioſe reportarunt pro cenſu annuo Epiſcopali duobus ſolidis Raven., & Ancon. impoſitis. Anno deinde* 1249. *ab eodem Epiſcopo ſupplicationem obtinuere, poſſe bona, & oblationes Parochialium dicti Monaſterii libere percipere; propterea quod illic diſcedentes volebant ire ad habitandum Collem Eſculanum Oppidi S. Geneſii in Divi Valentini, cui nomen S. Joannis applicavere, prout etiam modo nominatur. Anno* 1270. *a Vidone Epiſcopo Camerte ad earumdem monia-*

Q

(1) Annal. Lib. VII. tom. I. n. XVII. pag. 255.

(2) Sever. hiſt. Geneſ. ms. Lib. I.

nialium petitionem ſupradictum Monaſterium annexum &c. novo Monaſterio D. Joannis Collis Eſculani, adhucque ejus fruitur bonis = Haec Severinus ſcribens ſeculo XVI.

V. Alterum habemus ſcriptorem ſequentis ſeculi pariter Geneſinum Fr. nempe Geneſium Ravignanium Tertii Ordinis S. Franciſci, qui in hiſtoria ſua ms. in archivo illius Ordinis in Monaſterio extra moenia S. Geneſii *Fioleo* nuncupato ſic habet = *Di S. Gineſio = Il Monaſtero delle Suore di S. Giovanni, dove ora ſono, ſi chiamava a quei tempi Colleſculano, Chieſa di S. Valentino &c.*

VI. Ecce nos ad novam regionem, quae *Eſculani* nomen habet apud Geneſinos. Collis iſte *Eſculanus* non eſſet utique documentis probandus in illo Oppido: Situs enim *Collis-Eſculani*, ſeu *Eſculeni*, vel etiam *Aſculani* (ſic enim promiſcue nuncupatur) apud illas gentes notiſſimus eſt; & extat in ſublimiori oppidi parte; ubi propugnaculum, ſeu Arx erat munitiſſima, duplici muro undique vallata, cujus rudera hodieque ſuperſunt, & in ipſa antiquiſſimum templum S. Valentino ſacrum, quod poſtea a S. Joanne nomen habuit; quando Moniales praedictae *S. Benedicti in Cippo* in illud ſeſe receperunt, & Monaſterium aedificarunt; & collis iſte *Eſculanus caput Caſtelli* (vulgo *Capo Caſtello*) hodie nominatur; unumque eſt e nobilioribus Oppidi S. Geneſii quarteriis. Chartam habemus in publico archivo Geneſino, quae *Eſculani*, ſeu *Aſculani* Collis ſitum aperte deſcribit, in eaque continetur electio Cappellani facta a Monialibus S. Joannis die 25. Maji anno 1536. per acta Ser Marini Bilacqua, in qua ſic legitur = *Supradicto anno (1536.) & die 25. Maji in terra S. Geneſii ante portam majorem Monaſterii S. Joannis poſiti in Colle Aſculano, ſeu S. Joannis in contrata Capitis Caſtri juſta ortum ſuperiorem dicti Monaſterii, & res dicti Monaſterii undique praeſentibus &c.* = Si ergo apud Geneſinos in *Colle Eſculano*, ſeu *Aſculano* reperitur regio *caput Caſtri*, ſeu *Caſtelli* vocata; quodnam erit Caſtrum illud, quod *Colli Eſculano* nomen dat, niſi *Caſtrum*, ſeu *Caſtellum Eſculanum*. Revera *Collis Eſculanus* vocata non fuiſſet regio illa *Capo Caſtello* dicta, niſi caſtrum *Eſculanum* in illis viciniis fuiſſet olim conſtitutum, quod *Colli Eſculano* nomen dediſſet. At ubinam *Oppidum Eſculanum* ante medium undecimum ſeculum jacebat, quod Colli illi nomen dabat in quo princeps Oppidi S. Geneſii eſt conſtitutum (ut dicunt) quarterium, ubi nobiles tantum Cives, ſecluſa plebe, ſuas aedes habebant? Ad id aſſequendum perpendamus oportet, veram, & fabulis ſpoliatam *Oppidi S. Geneſii* originem. E Falerae, & Urbis-ſalviae ruinis oppidi S. Geneſii finitimorum originem ſuam habuiſſe tot illa Caſtella, quae circumqua-

Digitized by Google

quaque jacebant ſparſa circa elevatum illum collem, ubi nunc ſitum eſt amplum, & nobile S. Geneſii Oppidum, aſſerit Severinius. [1] Domini, qui in Caſtellis illis dominabantur ad dirimendas contentiones inter ipſos in dies excitatas; perſpecta collis amoenitate, aeris ſalubritate, & planitie illa, quae in vertice collis latiſſime patet, illud conſilii coeperunt, ut vaſtatis tot caſtellis, unum conſtitueretur, quo, deductis populis ſibi ſubjectis, ampliſſimum efformarent Oppidum, quod ab Aede ibi reperta, & in honorem *S. Geneſii* jamdiu excitata, ſpecialique cultu habita *S. Geneſii* nomine, eſſet inſignitum. Res illico confecta fuit. Caſtella fuerunt everſa, populi deducti: & Caſtrum in quinque, ut vocant, quarteria diſtributum. Princeps quarterium in *Colle Eſculano caput Caſtelli* dictum fuit; alterum *Brugiani*; alterum *Alvaneti*; alterum *Tranſani* a populis illorum Caſtrorum ibi deductorum vocata; poſtremo *Burgi* nomen haeſit, ubi, ut ego conjicio, a ſparſis undique vicinis Caſtris gentes collectae ſunt ad illud ſuburbium incolendum. Situs, ubi *Brugianum*, *Alvanetum*, & *Trenſanum* caſtra jacebant notiſſima hodieque ſunt. Ubi vero *Oppidum Eſculanum* jaceret, quod *Colli Eſculano* nomen dedit, clariſſima nobis ſuperſunt indicia. Ad radices enim illius Collis, quibus imminet *Collis Eſculanus* pingue patet ad ejus meridiem latifundium in illa vicinia, quae *Mariotta* nomen habet, quod PP. Clerici Regulares Minores illius Oppidi poſſident, & in quo publica patet via, a cujus ſiniſtro latere praeterfluit fluvius *Fiaſtrella* nuncupatus, & ad dexteram habet collem, qui recta via a ſua radice ad ſummitatem deſinit *Collis Eſculani*. In illa planitie detecti ſunt, & in dies deteguntur muri praegrandes deſinentes ad radices *Collis Eſculani* antiquiſſimae, & fortiſſimae ſtructurae, illiſque ſimiles, qui apparent adhuc, ubi ſitas fuiſſe ſcimus Civitates Faleram, Urbem-Salviam, & Recinam: quamvis in hac planitie ob culturam camporum penitus diſſipati ſint, & humo tecti: attamen praegrandium veſtigia murorum hinc inde ſparſa apparent per aſcenſum illius Collis. Hinc aperte conjicimus ibi antiquiſſimum fuiſſe conſtitutum *Eſculanum*, quod *Colli Eſculano* nomen dedit. Superſunt in hoc colle veſtigia illa munitiſſimae Arcis, disjecto *Eſculano oppido imminentis* illius oppidi forte propugnaculi; Cujuſmodi propugnacula habuiſſe comperimus Faleram, & Urbem-Salviam, in quibus illarum Oppidani ad barbaricas effugiendas irruptiones ſe ſe receperunt, & in quibus vaſtata illorum oppida renata, ut ita dicam, ſunt. Id propemodum eveniſſe *Oppido Eſculano* conjicimus.

[1] Sever. ubi ſupr. Lib. 1.

VII. Attamen, quo tempore Damianus ſcribebat, *Eſculanum* non fuiſſe adhuc dirutum, & Oppidi *S. Geneſii* originem non medio XI., ſed medio XII. ſeculo eſſe forte figendam, argumenta, & quidem graviſſima nos in ſuſpicionem inducunt. Caſtri enim *S. Geneſii* prima memoria in laudata Severinii hiſtoria [1] habetur ex diplomate Marquardii expedito ſub Ripae Tranſonae obſidione favore Warnerii Ducis, & Marchionis anno 1199. Indic. I. die 29. Auguſti anno Manfredi regis I., quo perpetuo jure illi, ejuſque haeredibus in infinitum beneficiario nomine firmat Caſtra *S. Geneſii*, *Plecae*, *Montis Franchi*, & Eccleſiam *S. Mariae de Storaco*. (2) Muratorius vero in ſuis antiquitatibus italicis (3) alterum profert documentum favore Warnerii, & Altrudis ejus uxoris (fuit hic Warnerius, vel avus, vel pater ſupradicti Warnerii) datum anno 1117, quod continet ceſſionem, & donationem factam Warnerio a Berardo filio Maſſarii de rebus ſuis, quas habet infra comitatum Camerini, *Et in loco, qui nominatur in monte S. Geneſii*. (4) Et quis nam erit *mons* iſte, vocatus *Monte S. Geneſii*, niſi forte mons ille, ubi hodie jacet *Oppidum S. Geneſii*? Sic propterea mons ille dictus ab Aede

[1] Sever. ubi ſupra, & Compagn. Reg. Pic. P. I. Lib. II. pag. 78.

(2) Haec Eccleſia ſita eſt in agro Montiſſiottrani Auximanae Dioec., habebatque annexum Monaſterium Ordinis S. Benedicti omnino nunc diſjectum. Templum integrum eſt amplum, & magnificum... *Storacum* Caſtrum erat Auximanae genti ſubjectum, a qua Auximanae Eccleſiae donatum eſt; & ad illud regendum Epiſcopus mittebat rectorem, ut ſcribit Mattorellius (Lib. III. Cap. VII. pag. 150.) & documentum profert ad annum 1271. ad amplificandum Montem ſi'oſtranum fuit *Storacum* everſum, fide ejuſdem Mattorellii. In Monaſterio S. Mariae Coenobiticam vitam profeſſus eſt S. Bonfilius, qui anno 1078. Cathedram Fulginatem obtinuit. Acta hujus S. Paſtoris, quem ſuae Civitatis voluerunt patronum Cingulani, qui ſacras illius exuvias in Eccleſia S. Benedicti Congregationis Silveſtrinae venerantur, ſcripſit S. Silveſter illius Congregationis fundator, eamque habes in Chronica ejuſdem Congregationis a Sebaſtiano Fabrino Italice ſcripta pag. 62. In Eccleſia *S. Mariae de Storaco* corpus requieſcere B. Silveſtri de Pyro Ordinis S. Benedicti illarum partium gentes dictitant; & eſt conſtans apud illas traditio. Nil de hoc venerabili Viro compertum habemus: reticere autem traditionem nolumus, ne forte videamur partias res omnino negligere. Poſſet enim aliquando documenta prodire ad hanc traditionem firmandam.

[3] Tom. I. Diſſ. V. col. 173. & 174. edit. Ven. quod in App. damus.

(4) Haec verba = *In loco, qui nominatur in Monte S. Geneſii* = nullam habent vim ad exprimendum *Caſtrum S. Geneſii*. Sic, ubi legimus S. Romualdum receſſiſſe a *Valle Caſtri* ad *aquam-bellam*, nemo ubique argumentabitur ibi aliquod Caſtrum fuiſſe, dum legit ſtationem S. Virum fixiſſe = *In loco qui dicitur aqua-bella* = Hujuſmodi exempla pene innumera habentur in monumentis, & ſchedis horum temporum. Et propterea ſi Betardus donat Warnerio terras, & ſylvas poſitas *in loco qui dicitur in monte S. Geneſii*, Caſtrum S. Geneſii ab illo monte omnino patet excluſum, quod clariſſime deprehenditur ab illius diplomatis lectione, illudque conſule in Appendice. Et propterea *San-Geneſii* oppidi fundatio ad ſequiora tempora eſt referenda.

Digitized by Google

Aede *S. Geneſio* ſacra, quae poſtea novo Oppido S. Geneſii nomen dedit, ut nos ſuperius argumentati ſumus. Anno igitur 1117. *Sancti Geneſii* Oppidum non fuiſſe adhuc conſtitutum, & infra hunc annum, & annum 1199. illius originem figendam eſſe argumentamur, exploſa fabuloſa illius oppidi origine ab *Avio* in Piceno ſomniato, a *Capramontana* alibi tutiſſimè reperta, & ab *Eſculano* in illis viciniis, & non in monte, ubi nunc S. Geneſii Oppidum jacet, a nobis forſan invento. Vaſtitatem vero oppidi *Eſculani* poſtumus nos refundere ad Normannos ante ann. 1079, quando *Marchiam Firmanam*, *ſeu Camerinam* divexarunt, contra quos S. Gregorius VII. excommunicationis ſententiam dixit. [1] Forſan tamen errabimus.

VIII. Ita re ſe habente, quis *inficiabitur* Monaſterium a Sancto Romualdo prope oppidum *Eſculanum* conditum illud potius fuiſſe *S. Mariae de Inſula*, in quo Romualdinae inſtitutionis tot ſigna praelucent in Camerinenſi Dioeceſi poſitum, quam aliud longiori in parte prope Civitatem *Aſculanam*, in cujus viciniis nil certi habemus ad illud firmandum. Comitum Camerinenſium amor erga S. Patrem aperte ab ejus actis oſtenditur. Breve tempus, quo illa tria monaſteria a S. Romualdo conſtructa ſunt, probat magis propinquitas, quae inter *Vallem Caſtri*, & *Caſtrum Inſulae* intercedit xx. circ. mill. paſſ., quam inter Vallem *Caſtri*, & *Aſculanum*, quod ſupra L. mill. paſſ. a Valle Caſtri diſtat; ideoque monaſterium prope oppidum *Eſculanum* illud eſſe in Camerinenſi Dioeceſi conditum ad *D. Mariae de Inſula*, quaſi ad evidentiam firmat. Haec ego de Romualdina fundatione tertii Monaſterii prope oppidum *Eſculanum* conjicio. Auderem id tutiſſime aſſerere, ſi antiquiora documenta è tabulariis Geneſinis, quae ſane non deficiunt, quaeque legiſſe, & a quibus hiſtoriam ſuam ſe excerpſiſſe Severinius ſincere fatetur, obtinere potuiſſem.

IX. In hac igitur prima ſtatione in Valle-Caſtri, praeter tria illa Monaſteria, fundavit etiam Romualdus alterum Parthenonem; neſcimus quo loco: Ni forte velimus fuiſſe illud *S. Benedicti in Cippo*, de quo ſupra; ſane probabilius, quam illud a cl. Abbate Grandio excogitatum in Dioeceſi Firmana, quo S. P. an aliquando progreſſus ſit, nil certi habemus. Canonicas Eccleſias potuit reformare, illam *S. Severini*, *Cinguli*, *Canonicam S. Coronati*, *Montecchianam*, aliaſque; ſi quae per illa tempora in noſtris partibus erant fundatae. Accurrere potuit ad reformandos Monachos *S. Urbani*, *Vallisfucinae*, *S. Clementis*, *S. Victoris* in Agro Cingulano, *S. Euſtachii de Domoris*, *S. Laurentii in Doliolo*, *S. Mariae de Ram-*

(1) Labb. Tom. x. Collect. Concil. Murat. Annal. ad ann. 1078.

Ramboua, *S. Mariani*, alioſque plures in aliis Coenobiis in hac parte Ciſapennina ſparſis degentes.

CAPUT III.

De Aqua-bella ubi S. Romualdus *manſit*.

I. Stationes S. Romualdi a Valle-Caſtri ad Aquam-bellam *deſignantur*.

II. Diluuntur objectiones, quae poſſunt aeras illarum ſtationum perturbare.

III. Aquam-bellam *non longe a Valle-Caſtri reperimus; illamque conjicimus in Agro Fabriani in regione Tadini, & quidem duobus documentis*.

IV. Aſſertum noſtrum probamus, & reprobamus Aquam-bellam Vallisſumbroſae.

V. Acta S. Romualdi a Damiano ſcripta ſententiam noſtram confirmant.

VI. Immo & aetas S. Romualdi, & ipſa Chronologia favet conjecturis noſtris.

VII. Rejicitur opinio illorum, qui volunt Aquam-bellam *idem eſſe ac Camaldulum*.

VIII. Aliis argumentis chronologicis, & ſerie actorum S. P. noſtra opinio firmatur.

IX. Recenſentur ſtationes S. Romualdi.

X. Producitur II. Tabula Chronologica actorum, & ſtationum S. Viri.

XI. Expluſa Aqua-bella *Vallisſumbroſae datur locus* Aquae-bellae Tadinati.

XII. In Agro Fabrianenſi prope Albacinam forte alia Aqua-bella *reperitur: & ſic potioribus argumentis* Aqua-bella Vallis Umbroſae *rejicitur*.

XIII. Res geſtae a S. Romualdo recenſentur, dum manſit in noſtra Aqua-bella.

I. ALteram Stationem fecit Sanctus Romualdus anno circiter 1011. a Pannonia reverſus ad Vallem-Caſtri, quando ab illa ſolitudine a Monachis turpiter ejectus, *progrediens non longe ab Apennino monte, in loco, qui dicitur Aqua-bella manere conſtituit*. (1) At quiſnam erit locus iſte *Aqua-bella* nuncupatus non lon-

[1] Vit. S. Romualdi Cap. xlvi.

Digitized by Google

longe ab Apennino monte, in quo S. P. manere constituit ? Acta S. Romualdi ejectionem a Valle Castri referunt Capite XLV; accessum ad *Aquam-bellam* Capite XLVI; discessum vero S. Romualdi ab Apennino monte Capite XLIX.

II. At enim: quare Cap. XLVII, in quo *Camaldulensis* eremi fundatio habetur, & miraculum ibi a Deo ad S. Viri custodiam patratum ego non recolo ? Quare Caput XLVIII. etiam ommitto, in quo de *Monte petravo*, & de alio miraculo nihil produco ? Ratio, & forsan clara a Sancti Damiani textu, si attente perpendatur, apparet. Vix Romualdus ad *Aquam-bellam* pervenit, Presbyterum a dentium dolore liberavit; quo miraculo tot illi encomia data sunt. Hoc enarrato prodigio, Damianus aliud refert miraculum in Eremo Camaldulensi factum *alio tempore*, tempore scilicet incerto, & a Deo factum ad custodiam S. Romualdi: quo viso, omnes obstupefacti loetas ad coelum voces tollunt, & immensas Deo gratias agunt. Capite denique XLVIII. affert Damianus aliud miraculum de ilice lapsa super quemdam rusticum, ad quod enarrandum sic Damianus progreditur = *Sed quid nos de divina circa venerabilem virum custodia dicimus, cum & alios saepe per ejus praesentiam ex magnis eveptos fuisse periculis non ignoramus* = Sic doctissimus, & accuratissimus scriptor Damianus tria haec miracula in tribus capitibus perbelle connectit. Quapropter si hoc ultimum caput locum non habet in Chronologico ordine actorum S. Romualdi, nec alterum *alio tempore* in Camaldulensi Eremo a Deo factum locum habere debet, quia tempore incerto perpetratum; & neutrum istorum miraculorum assignare potest S. Patris stationes: alias S. Senem annorum circ. 106. obligatum haberemus ad importunum, irrationabile, & pene incredibile iter, ut mox aperte probabimus.

III. *Ad Aquae-bellae* situm patefaciendum veniamus, quum *Aquam-bellam* non longe a Valle-Castri sitam esse suspicemur. Clarissimus Canonicus Butus toties in hac opella celebratus fuit a me superioribus annis enixe rogatus, ut si quam per illas regiones Apennini montis Fabriano proximas aliquam expiscaretur regionem cui *Aquae-bellae* nomen, vel aliud huic nomini simile haereret, me certiorem redderet: suspicabar enim S. Romualdum a Vallis Castri solitudine ejectum, & *non longe ab Apennino monte in loco, qui dicitur Aqua-bella* constitutum, non utique processisse ad *Aquam-bellam Vallis-Umbrosae*, sed Fabriani Agrum non fuisse praetergressum; ut exinde, *relicto Apennino, montem Sitriae habitaturus ascenderet*: Quum montes Fabriano proximi *Apennini* nomen haberent, in quibus insignis Abbatia *S. Mariae de Apennino* sub initio XIII. seculi flo-

florebat, cujus Monachi amplam jurisdictionem habebant *a summitate montium Apennini Fabrianum versus*: (1) & non longe ab illo Coenobio situm erat Castrum, seu *Rocca Apennini*, cujus Domini anno 1226. sese Fabriano submiserunt [2] & propterea mons ille, cujus lateri adhaerent & Monasterium *S. Mariae de Apennino*, & *Rocca Apennini*, mons *Apenninus* est certissime nuncupatus. Nullum praetermisit studium, ut votis meis faceret satis, amicus solertissimus: Attamen nil tunc assequi potuit. Quum vero exinde suae Ecclesiae Cathedralis chartas forte revolveret spectantes ad Abbatiam *S. Mariae de Apennino* suae mensae Capitulari ab Eugenio IV. unitam, in duas incidit schedas scriptas sub initio XIV. seculi, in quibus memoratur *Eremita S. Salvatoris*, *& S. Petri de Aqua-albella* sita in Monte madio (vulgo *Montemaggio*), quae tunc juris erat Monachorum *S. Mariae de Apennino*; coepitque suspicari *Aquam-bellam* a me quaesitam esse illam *Aquam-albellam* in illis schedis enunciatam, ad quam S. Romualdus fecesit (quicquid sit de alteratione vocis *Aquae-bellae* in *Aquam-albellam*; id enim evenire potuit a corrupta rusticorum pronunciatione.) Hac acquisitâ notitia perrexit Vir humanissimus ad illam regionem; & ab annoso sene intellexit in ea parte *Montis madii*, qua *Tadinum* versus descendimus [3] suae adolescentiae annis vidisse nonnulla cellularum vestigia omnino tunc disjectarum hinc inde per *Montis Madii* [4] declivitates spar-

[1] Arch. Fabr. prior. libro rosso pag. 83. sunt verba diplomatis cessionis relati a Nintoma Accademico Litt. III. annot. A. pag. 41.

[2] In eodem lib. pag. 47.

[3] Diruta Tadini vestigia prope Gualdum Nucerinae Dioeceseos videntur, unde ortum habuisse dicunt illud Oppidum.

(4) *Mons* iste *Madius* (*Monte Maggio* vulgo dictus) unus est e sublimioribus montium *Apennini* in agro Fabrianensi, in cujus radice sita est *S. Maria de Apennino*; ibique pariter erat constitutum Castrum, seu *Rocca Apennini*, loci a Fabriano v., vel VI. mill. pass. dissiti ad Occidentem hyemalem. *Mons Madius* (*Monte Maggio*) est in Montes Apennini, qui se protendunt ad Occidentem aestivum, omnium sublimior, & in sua opposita parte, ubi jacebat *Eremita S. Salvatoris*, *& S. Petri de Aqua-albella* respicit Tadinum. Suum vero nomen est *Apenninus*; in quo dominabantur jurisdictione etiam temporali, ut supra dictum est, "Monachi *S. Mariae de Apennino*, qui se ipsos & *homines .... cum universis mansis & tenutis eorum quos habent* (nota) *a summitate montium Apennini in versus Fabrianum*. Non dicitur ibi = *Montium Apenninorum*, sed *Apennini*. Cur vero mons iste vere *Apenninus* appellandus, dictus sit *Mons Madius*, dicam, sed forsan errabo; si argumentet *Monte Maggio* illum vulgo dictum, quasi Mons major *Monte maggiore* aliorum, qui in Fabrianensi agro siti sunt. Quia vero solent, ut plurimum rustici nostrarum regionum voces deturpare, & obtruncare ultimas vocum syllabas, *Monte Maggiè*, cum gravi accentu in ultima syllaba illum pronunciatunt, ideſt *Monte maggiore*. Gens magis culta gravem accentum ab illa ultima syllaba auferentes, montem appellarunt *Monte maggio*; quam vocem cum imperiti notarii, aliique illorum temporum

ſparſarum. Haec ab illo annoſo montivago ſene accepit noſter Butus, qui poſtea gravi preſſus infirmitate non potuit mecum omnia haec communicare.

IV. Vix haec ab amico ingenuo comperi, ſtatim deprehendi *Aquam-bellam*, quo Sanctus Romualdus progreſſus eſt, fuiſſe potius *Aquam-albellam* in Agro Fabrianenſi repertam (hanc *Aquam-albellam Tadinatem* nuncupabimus) quam illam Vallis-Umbroſae, rationibus utique non contemnendis. Primò quidem hanc *Aquam-albellam* ſitam habemus in *Apennino*; & hoc neceſſariò; ut verum ſit, quod ſcribit Damianus de diſceſſu S.Romualdi, *qui relicto Apennino montem Sitriae habitaturus aſcendit*. Item ejectus Romualdus a Valle-Caſtri, & ad *Aquam-albellam* Tadinatem progreſſus XII. circ. milliaria confecit, iter utique percommodum, quod etiam pedeſtris Venerabilis ſenex conficere poterat. Tertiò in hac noſtra *Aqua-bella*, ſeu *Aqua-albella* habemus Monaſterium S. Mariae, & huic proximam Eremum *S. Salvatoris*, *& S. Petri*; & in hac ſtatione S. P. praelucet ſpiritus, qui proximam Monaſterio ſemper voluit Eremum. Ad hanc *Aquam-bellam* progreſſus Romualdus, concurrentibus ad eum undique viris ad Monaſticum habitum impetrandum, fundare potuit Coenobium *S. Mariae de Apennino*. Accedit ad hoc argumentum firmandum, noſtramque conjecturam roborandam auctoritas Chroniſtae Gualdenſis, [1] quaecumque illa ſit, qui ſcribit S. Romualdum manſiſſe in *regione Tadini*, non longe ab *Eremita S. Salvatoris*, & *S. Petri de Aqua-albella* conſtituta. Tandem ſi diſceſſum ab hac *Aqua-bella* ad montem Sitriae perpendamus, videbimus pene ad evidentiam in hac Tadinate *Aqua-albella*, non in Vallumbroſana Romualdum manſiſſe. A Tadinate utique *Aqua-albella* ad Sitriam milliaria intercedunt circ. XV. ad Occidentem aeſtivum.

V. Repetamus nunc quomodo Damianus diſceſſum ab hac Aqua-bella deſcribat = *Poſtmodum vero, cum Apenninum defereret, montem Sitriae habitaturus aſcendit* = Igitur hic non memoratur *Aqua-bella*, ſed *Apenninum*; & S. Romualdus credendus non eſt incoluiſſe *Aquam-bellam Vallumbroſanam*, quum P. Soldanius V.C. ponat *Aquam-bellam Vallis-Umbroſae* pluribus milliariis ab Apenninis montibus diſſitam, illamque locet in Valle. Ideoque ſi S. P. R man-

rum in latinum vertere vellent, exiſtimantes vocem illam *Maggio* praeferre ſignificationem menſis *Maji*, qui menſis barbaris illis temporibus *Madius* dicebatur, *Montem madium* latinè, vulgo *Monte maggio* exinde dixerunt. Sed hae nugae ſunt.

[1] Hic codex ſervatur in Vaticana Bibliotheca. Videndum quid ſcribant de mora S. Romualdi in regione Tadini Annalium Camal. Scriptores Tom. I. L. VIII. num. 11. pag. 288.

Digitized by Google

manſiſſet in Valle-Umbroſa, non potuiſſet manere in Apennino; & quando diſceſſit ab Apennino, diſceſſit utique a Monte, & non a Valle; & propterea Damianus ſcribens S. Romualdum reliquiſſe *Apenninum*, debebat potius ſcribere reliquiſſe *Aquam-bellam*, ſeu *Vallem-Umbroſam*; quum *Vallis-Umbroſa*, & *Aqua-bella* ſitae ſint in Valle, & non in monte; & pluribus milliaribus ab Apennino diſſitis. E contra vero diſcedens beatus Vir ab *Aqua-bella*, ſeu *Aqua-albella* Tadinate ab *Apennino* monte diſceſſit, ad cujus radices & Monaſterium *S. Mariae*, & *Eremi S. Salvatoris*, & *S. Petri* ſitae ſunt.

VI. Progreſſurus vero S. Vir aetate circ. annorum 106. a Valle-Caſtri ad Vallem-Umbroſam debuiſſet arripere iter 130. ſaltem milliarium, quae inter Vallem-Caſtri, & Vallem-Umbroſam intercedunt. Debuiſſet tranſgredi Umbriam, & Tuſciam penetrare; & non longe a Florentia ſtationem ponere. Neſcio, qui ſedulo haec reputans ſuadere ſibi poſſit tantum iter a ſene tam longaevo arreptum, quod, etiamſi equitando perfeciſſet, gravi ei fuiſſet incommodo; propterea nulla nobis ratio relinquitur ad id credendum.

VII. Neque vero admittenda eſt opinio credentium, quando Damianus ſcribit Capite XLVIII. Romualdum deſeruiſſe *Apenninum*, intelligere voluiſſe de *Camaldulo*, cujus meminit S. Scriptor praecedenti Capite XLVII: nam Scriptores illi, qui haec autumant, admitterent in Damiani commentario illum ordinem chronologicum a me conſtanter acceptum, & ab aliis uſque adhuc reprobatum, & quem in coeteris partibus illius operis neglectum volunt, hic admitterent proſequutum. Si ergo chronologico ordine acta S. Romualdi diſpoſuit, conſequens eſt, & eſt certiſſima conſequentia, S. Romualdum a *Valle-Caſtri* progreſſum ad Vallem-Umbroſam confeciſſe milliaria 130. a *Valle-Umbroſa* ad Camaldulum milliaria 30. a Camaldulo ad *montem Petranum* millia 50. A monte Petrano iterum ad *Camaldulum* rediiſſe, & confeciſſe alia 50. milliaria; & a Camaldulo aſcendiſſe *montem Sitriae* confectis milliaribus 60. (1) At quaenam tam importuna, inordinata, & iniqua itinera fingimus nos facta ab illo ſene tam annoſo? quae neceſſitas urgebat ad illa ſuſcipienda? quae prudentia ad illa admittenda? quae ſententia ad illa conjicienda?

VIII. Attamen ultro haec itinera admittamus. Inſpiciamus modo quanto tempore S. Romualdus potuit illa complere ab anno circ. 1009., quo relicto Vallis-Caſtri Coenobio, *montem Sitriae habitaturus*

(1) Hanc locorum diſtantiam poſuimus ad communem hominum opinionem; & propterea non eſt diſtantia haec adeo certa, ut correctione non egeat.

Digitized by Google

tus ascendit. Utique ni velimus Romualdum cursorem effingere, nullibi sistentem, & huc illuc in similitudinem fulguris coruscantis euntem, & redeuntem haec itinera conficere non potuit nisi spatio IV, vel V. annorum, & ad Sitriam illum reducere non possumus nisi anno 1015., vel anno 1014., ut argumentatur doctus Abb. Collina. (1) Alias in subsequentibus S. Patris actis spatium non haberemus congruum ad illa disponenda, quemadmodum nobis exhibet accuratissimus Damianus.

IX. Stationes nunc S. Romualdi recolamus ad hoc manifestè probandum. Vix S. Pater martyrium Bonifacii discipuli sui intellexit = *Nimio desiderii igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet, Vngariam mox ire disposuit* = Haec acta. [2] Nuncium vero passionis Bonifacii quandonam ad Romualdi aures potuit pervenire? Forte eo ipso anno 1009; quum ad diem XIV. Februarii martyrium consummasse Bonifacius censeatur. [3] Et a regione Urbis-veteris, vel a Valle-Castri ad fines Russiae (4) quot milliaria intercedunt? Ad Bonifacii mortem S. Romualdo enunciandam non fuerunt celeres equites expediti. Labente forsan anno 1009. Romualdum facti certiorem credamus. Post acceptum nuncium non illico venerabilis vir Dei Ungariam versus profectus est: *Interim tamen cum ipsa intentione perstisteret, brevi tempore tria constituit monasteria*: sic Damianus capite supra citato. Has fundationes admittamus factas intra integrum annum 1009. Brevius ne tempus ponimus assignare ad tria Monasteria constituenda, ad Monachos destinandos, ad Abbates instituendos; & fundato Coenobio in Valle-Castri progredi ad flumen Gini, quod Aesii flumen est, ibique Monasterium S. Helenae construere; mox ad oppidum Esculanum juxta San-genesium Monasterium S. Mariae de Insula constituere, quod a Valle-Castri 30. circ. mill. pass. abest? His factis fundationibus Camerinensem provinciam Romualdus deferat; (nescimus tamen definire an S. Bonifacii passionis certior sit factus Romualdus in Valle-Castri, an in regione Urbis-veteris) alterum apud hanc urbem condat coenobium. Mox cum sociis Monachis Romam probabiliter pergat, ibique duo ex ejus discipulis Archiepiscopi sint ordinati; & tandem Pannoniam versus iter arripiat. Haec omnia an unius anni curriculo possint expleri discretus lector judicet. Ecce igitur Romualdum anno 1010. hisce curis expeditum Ungariam versus pro-

(1) Vit. di S. Romoal. Part. I. Cap. XXXV. pag. 253.

(2) Cap. XXXIX.

(3) Annal. Camal. Tom. I. Lib. VIII. num. XVI.

[4] Laudati Chronistae eodem tomo, & libro num. XV. auctoritate Ditmari Bonifacium passum fuisse firmant in confiniis Prussiae regionis & Russiae.

Digitized by Google

greſſum circa initium anni 1011. In finibus Ungariae aegrotet; convaleſcat, ulterius progredi tentet, iterumque in morbum incidat: revertatur, & iterum convaleſcat, & ad regionem Urbis-veteris, ubi jam Monaſterium condiderat, ſe reducat. Ibi moretur, & multa perſecutionis ſcandala patiatur; & tandem *locum cum ſuis diſcipulis deſerens, non longe a Caſtro praedii in virtute Rainerii, qui poſtmodum Thuſciae Marchio factus eſt* (1) *habitet*. Ad haec agenda quantum, quaeſo temporis vultis aſſignare? Saltem integrum annum 1011. labente anno 1011. ad conſtruendum Coenobium non longe a Maſſiliano proficiſcatur, quo facto ad Claſſenſe aſceterium pergat correcturus illum Venetum Monachum, qui per ſimoniam Claſſenſem Abbatiam invaſerat, & quem aliis criminibus praeſciverat obnoxium. Hinc fugiat, ut mortem evitet, & iterum Parentium naviget, unde a Romano Pontifice revocatus, in Italiam ſe reducat. Pergat ad fauces Callenſes, *aliquandiu* ibi moretur; deinde progrediatur ad Montem Petranum: ibi Eremum conſtituat, & maneat perficiendo ea, quae Damianus Cap. XLIII, & XLIV. commemorat, & ſic compleat totum annum 1012., & non prius, quam anno 1013. ad Vallem-Caſtri ſe iterum reſtituat.

X. Stationes igitur S. Romualdi, quas priori in tabula nulli conſignavimus anno; hac altera tabula, conjecturis ſupra datis, ſic illas figimus.

TABULA II.

1004 Pergit ad Bifurcum; hinc
1006 Progreditur ad Vallem-Caſtri: mox
1010 Ad Urbis-veteris regionem per haec tempora condit tria Monaſteria.
1011 { Ungariam verſus iter arripit. Redit
Ad Urbem-veterem ſe reſtituit
1012 { Moratur non longe a Caſtro. Condit Coenobium non longe a Maſſiliano.
Claſſem vadit. Fugit Parentium: redit. Moratur in faucibus Callenſibus & in Monte Petrano.
1013 Redit ad Vallem-Caſtri; a qua ejectus manet *in Aqua-bella; Poſtmodum vero, cum Apenninum defereret, montem Sitriae habitaturus aſcendit*. Nemo non videt quam rationabiles ſint, & tam annoſo ſeni commode hae ſtationes; & commoda etiam itinera ad illas exequendas ſuſcepta. Con-

(1) AA. S. Rom. Cap. XXXIX.

Digitized by Google

Contra tamen hanc chronologicam ſtationum ſeriem urget *fundatio Camaldulenſis Eremi*; quam factam plerique volunt anno 1012. Hanc tamen difficultatem in ſequenti Capite diluere ſtudebimus.

XI. Tot ergo argumentis, explosa *Aqua-bella Vallumbroſana*, admittatur oportet *Aqua-bella*, ſeu *Aqua-albella* Tadinas in agro *Fabrianenſi*: &, ſi haec non admittatur, ad aliam expiſcandam *Aquam-bellam* operam navare debemus, quae ſtationem S. Romualdi probabiliorem in illa reddat, & actorum S. P. ſeriem chronologicam non perturbet; excluſa ſemper Vallumbroſana: eo magis quia, ſi Romualdus *ad Vallem-Umbroſam* fuiſſet progreſſus, non utique Damianus ſcripſiſſet Venerabilem Virum progreſſum fuiſſe *ad Aquam-bellam*; ſed ad *Vallem-Umbroſam* per illa tempora ſatis celebrem, omnibuſque notam: quum, quo tempore Damianus Romualdi acta ſcribebat, illam incoleret S. Joannes Gualbertus cum florida familia ibi ab anno 1039. conſtituta; & Damianus illa acta diſponebat anno 1042., nec aliquando Damianus *Valli-Umbroſae Aquae-bellae* nomen dediſſet, etiamſi idem fuiſſet *Aqua-bella*, ac *Vallis-Umbroſa*, quia haec erat omnibus nota, illa penitus obſcura.

XII. Sed ad aliam *Aquam-bellam* in eodem agro Fabrianenſi conjiciendam progrediamur. Regioni illi apud Albacinam, de qua alias (1) in Agro Fabrianenſi *Aquarellae* nomen haeret, ubi parvula Aedes hodiedum viſitur Beatae Mariae Virgini ſacra inter ſylvas in Apennini Montis Albacinae Caſtro imminentis media declivitate ad ejus Orientem, ubi primum ſuum habuit generalem Conventum naſcens Fratrum Minorum, quos Capuccinos vocant, Congregatio. Haec ſolitudo a Valle-Caſtri 1500. paſſ. abeſt. Eremus illuc conſtituta viget adhuc, illamque unus Eremita cuſtodit. Vocatur utique *Aquarella*, non *Aqua-bella*. Sed nullius eſt momenti hujuſmodi variatio. Quid ſi tempore Damiani regio haec *Aquabella* eſſet dicta? Quid ſi in autographo Damiani ſcriptum foret *Aquarella*, & non *Aquabella* Amanuenſium culpa textu corrupto? En igitur alterum locum, in quo S. Romualdus percommode potuit manere ad Sitriam progreſſurus. In Agro Albacinenſi Monachi Camaldulenſes ad Divi Blaſii Fabriani pinguia latifundia poſſident. Princeps illius Caſtri Eccleſia S. Venantio ſacra cum Sacerdotio ibi conſtituto juris eſt Coenobii Vallis-Caſtri, cujus Monachi diu Paroeciam illam curarunt; & ea ratione Abbas S. Blaſii juriſdictionem habet in Eccleſia Albacinenſi, illiuſque Eccleſiae fruitur bonis, quia utra-

(1) Lib. III. Cap. II.

Digitized by Google

utraque Abbatia Valle Caſtrenſis, & Blaſiana ſunt ſimul unitae. Pietas ergo Albacinenſis populi erga S. Romualdum ad haec uſque tempora praelucere videtur; & hanc argumentari poſſumus ſuam traxiſſe originem a ſtatione S. P. in proxima iſta *Aquarella*, ubi Vir Dei manere conſtituit. En alteram *Aquam-bellam*, ad quam percommode S. Romualdus abire poterat a Valle-Caſtri ejectus; a qua progredi S. Senem facillime ad Sitriam poſſumus argumentari. Quid ergo juvat expiſcari alteram *Aquam-bellam* adeo longinquam, quum duas regiones habeamus, in quibus Aquabellae nomen praelucet? Tutius tamen argumentabimur ſi Aqualbellam Tadinatem Albacinenſi Aquarellae praeferamus. Illa enim documentis, haec conjecturis extitiſſe probatur.

XIII. Ad rem noſtram nunc redeamus. Dum igitur S. P. Romualdus in *Aquabella* vel *Tadinate*, vel *Albacinenſi* alteram ſuam ſtationem fecit, ibique per annum unum cum dimidio, ut conjicimus, manſit, potuit ſuas curas impendere ad reformandas, & inſtituendas Canonicam *S. Venantii Fabriani* jam ſibi conſtitutam, illam *Mathilicae* ſi per illa tempora vigebat adhuc, pervenire *Camerinum*, ibique reformare Canonicam Eccleſiae Cathedralis *Sanctae Mariae*, illamque forſan *S. Venantii* in Suburbio illius civitatis, cujus antiquitatis documenta loculentiſſima damus Cap. 1. Libri 1. num. VIII, ubi de *Leontii* Epiſcopatu, & ſanctitate, deque antiquiſſimo cultu Sancti Venantii diſſerimus. Monaſterium vero *S. Victoris de Cluſis*, ni velimus illud a S. Romualdo fundatum, ſaltem reformatum poſſumus argumentari. Aſceterium *S. Mariae de Apennino* fundationis Romualdinae habendum forſan eſt una cum *Eremita S. Salvatoris*, & *S. Petri de Aqua-albella*: in hac enim *Aqua-albella Tadinate* potius, quam in illâ *Albacinenſi* Romualdum ejectum a Valle-Caſtri manſiſſe conjicimus. Monachi etiam *S. Mariae de Rotis* in Agro Mathilicano & *S. Michaelis infra oſtia* in agro S. Anatholiae reformati, & inſtituti pariter credendi ſunt a S. P. cum aliis pluribus in illis partibus forte conſtitutis. Proceſſiſſe etiam Apoſtolicum Virum ad Sentinatem regionem, in eaque, quemadmodum in Valle Mathilicana Divini Verbi praedicatione ad poenitentiam peccatores reduxiſſe, alioſque plures ad amplexandas S. Benedicti, ſuaſque inſtitutiones hortatorem Romualdum habuiſſe aſſerere tutiſſime poſſumus. Forſan etiam Atto ille Comes in Comitatu Camerinenſi, ejuſque uxor Berta Comitiſſa hortatorem habuerunt S. P. ad dotandum Coenobium *S. Michaelis infra oſtia* in Agro S. Anatholiae; cujus fundatio patet jam facta ante annum 1015. ex ſcheda, quam damus: aliique deinde Comites operam de-

de-

Digitized by Google

derunt ad illius Monaſterii cenſum amplificandum ex aliis documentis in Appendice ad annos 1040. 1156., & 1157. productis. (1)

[1] Monaſterium S. Michaelis inſtauratum fuiſſe ante annum 1015. jam conſtitutum aperte ab ipſo Attonis diplomate comprehendimus. Quo enim tempore ab Attone donatio facta fuit, illud Coenobium regebat Abbas Petrus. Conſule accuratiſſimos Chroniſtas Camaldulenſes Tom. I. Lib. V. pag. 191. Ad hoc Aſceterium potuit S. Romualdus progredi ante annum 1015. *ab Aqua-bella Fabrianenſi*, vel a Monaſterio *S. Mariae de Apennino*; vel etiam ab *Aqua-bella Albacinenſi*, ſi haec admittatur *Aqua-bella* inter ſtationes S. Romualdi a Valle-Caſtri ejecti.

CAPUT IV.

De aera fundationis Eremi Camaldulenſis.

I. Fundatio Eremi Camaldulenſis aſſeritur facta non anno 1012., *ſed anno circ.* 987. *quod probare intendimus.*

II. Fortunius, admiſſa noſtra hypotheſi, non erravit ſcribens hanc fundationem factam tempore Helemperti Epiſcopi Aretini florentis anno 986.

III. Damianus nil habet de hac fundatione.

IV. Noſtram hypotheſim roborant acta S. Romualdi.

V. S. Romualdus perrexit ad Camaldulum cum quinque ſociis, qui omnes veſtibus albis erant induti.

VI. Ad examen revocantur acta S. Romualdi ad aeram hujus fundationis definiendam.

VII. Datur III. tabula chronologica ab anno 982. *ad* 1001.

VIII. Poſt hunc annum ſpatium habemus, quo S. Romualdus fundare potuerit Eremum Camalduli.

IX. Auctoritate diplomatis Heurici II. Imperatoris expungitur ab anno 1012. *fundatio Camalduli.*

X. Vel ſaltem probatur anno 1012. *Romualdi inſtitutum fuiſſe jam propagatum.*

I. SUpereſt nunc de *Eremo Camaldulenſi* diſſerere, & Aeram illius fundationis inveſtigare, ut conjecturas noſtras de *Aqualbella* firmemus. Fundatio Eremi *Camaldulenſis* cenſetur facta anno 1012; quae revera facta eſſe non potuit, ſi S. Romualdus *ab Aqual-bella Tadinate*, quam incolebat circ. anno 1013., tranſiſſet ad *Sitriam*, ut ejus acta teſtantur. Quum vero annus, quo *Camaldulenſis* Eremus fundata fuit, incertus nimis ſit; & acta Sancti Romualdi nihil nobis certi dent; ego ab iiſdem actis conjicio lon-

Digitized by Google

longe ante annum 1012. factam fuisse illam fundationem. Acta habent (1) *Alio quoque tempore, dum in quadam Eremo valde speciosa, & egregia, cui nomen est Camaldulensis, quam ipse aedificaverat, in Cella resideret* = Ab hac brevi narratiuncula aperte colligimus duo tempora. Anterius unum, & est fundatio Eremi, & posterius alterum, quando contigit miraculum Fagi super Cellam S. Romualdi corruentis. Igitur, etiamsi hoc miraculum fuisset factum anno 1012., fundatio Eremi ad aliud anterius tempus esset omnino referendum per illa verba = *quam ipse aedificaverat* = quae exprimunt tempus anterius a miraculo in illo Capite narrrato; & propterea non levibus ego conjecturis suffultus ad gloriam Sanctissimi Patris Romualdi, & ad majus decus Camaldulensis Congregationis *fundationem Camaldulensis Eremi* figo ad annum 987. circ. postquam a Vergaretano Coenobio adeo foede expulsus est, tantisque affectus contumeliis, ut fide Damiani (2) *hoc ipsum apud semetipsum deliberat, ut jam de coetero sua contentus, alienae salutis curam omnino postponat* =. Quod utique S. Vir exequutus fuisset, ni Deus ad Doemonis fraudes eludendas, *qui* (sic acta [3] habent) *videns, quia per semetipsum contra Dei famulum prevalere non posset* (recolantur acta Cap. XVI. & XVII.) *ad callida argumenta conversus, quocumque Vir Sanctus ibat, discipulorum ejus animos adversus eum in malitiam excitabat; ut quia retentari eum ab aecenso sui fervoris impetu impossibile fuerat, saltem ab alienae salutis cura compesceret* =, famuli sui mentem irradiasset, illumque a concepto retraheret proposito, *ut jam de coetero sua contentus, alienae salutis curam omnino postponat*. E Vergaretano igitur Coenobio tristis nimis digressus = *Cum pervenisset ad partes Arretini locum idoneum huic proposito* (an illum apud semetipsum deliberatum?) *cupiens invenire, occurrit ei quidam vir nomine Maldolus, dicens se campum habere amoenum in alpibus positum, ubi cum aliquando dormiret instar Jacob Patriarchae scalam vidit excelsam Coelum suo vertice tangentem, per quam splendentium, atque albescentium videbatur ascendere multitudo. Quo audito vir Sanctus tamquam divino illustratus oraculo* (ad Doemonis fraudes agnoscendas) *mox campum petiit, locum vidit, Cellas ibidem construxit, & allocutus Praesulem Arretinum suffragium hujus operis quaesitum impetravit* = Sic B. Rodulphus Prior IV. Eremi Camaldulensis Cap. IX., & X. suarum constitutionum quas anno 1080. dictitavit.

II. Fortunius, quamvis, nullo producto documento, asserat Epi-

[1] Cap. XLVI.
[2] Cap. XVIII.
[3] Cap. XVII.

Digitized by Google

Episcopum Aretinum fuisse Helempertum, qui fide Gerardi Can. Aretini floruisse dicitur ab anno 986, ad annum 1010, admissa nostra hypothesi de fundatione Camaldulensis Eremi ad annum 987. circ. non erravit, sicut errasset, si haec fundatio anno 1012. esset figenda, quo florebat Willelmus. [1]

III. Nil habet Damianus de tam insigni fundatione: quare non liquet: attamen B. Rodulphi fidei standum omnino est scriptoris nempe Sancti, eodemque, quo S. Romualdus obiit seculo, florentis; ideoque tanti scriptoris auctoritate S. Romualdi acta sunt illustranda.

IV. Has nostras conjecturas argumentis roboremus ab actis Sancti Romualdi desumptis. E *Valle-Castrensi* Coenobio fuit S. Pater ejectus. A *Sitricasibus* Monachis impie, dire calumniatus, insultatus, mulctatus; A Monachis *Montis Ammiati* gravia pertulit scandala; e *Vergaretano* Coenobio hostiliter est saevissime verberatus, & expulsus est, at Deus ille moerentium consolator, qui *Sanctos suos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas, sed tum de adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexit*, ut scribit Chrisostomus (2) quid egisse putatis ad angustias tanti Viri, sibique apprime chari sublevandas, & diluendas? Accipite. Expulsus a *Valle-Castri*, & ad *Aquam-bellam* progressus, miraculis illustratur, *Angelus Dei*, *Propheta Sanctus*, *lux magna occulta mundo* proclamatur. In *Sitria* quot scandala passus sit Damianus profitetur: *Non est nostrae facultatis evolvere* [3] Calumniatur ut immundus; insultatur, mulctatur: *Seuem impium laqueo debere suspendi* alii dicunt: alii *dignum judicant cum ipsa Cellula ignibus concremari*. Tandem *impostorum discipuli S. Viro, quasi de commisso crimine poenitentiam, & celebrandi sacra mysteria penitus abstulere licentiam*. Quid ad haec Deus; ut puritatem, & servi sui sanctitatem coram patefaceret? *Divinitus sibi jussum est, ut sacra Missarum solemnia celebraret: Postera die sacrificare incipiens ..... in extasi raptus tam longo temporis spatio stuit, ut omnes qui aderant, mirarentur. Raptus in Coelum, divina voce praeceptum est, ut Psalmos exponeret* (4) *Tandem anima Romualdi delata ante Deum est splendida velut nix*, (5) Sic Deus gravem illam injuriam compensavit. Quomodo vero persecutionem illam omnium severiorem, a Romualdo in *Vergaretano Coenobio* sublatam temperaverit Deus, quando discipuli *facta conspiratione unanimiter Cellam ejus cum sudibus*,

(1) Annal. Camal. Tom. 1. Lib. VIII. n. V. pag. 343.
[2] Hom. VIII. in Math.
(3) Cap. XLIX. & Cap. L.
(4) Cap. L.
[5] Cap. LI.

Digitized by Google

& phalangis irrumpunt, verberibus eum multis afficiunt, & direptis omnibus turpiter dehoneſtatum de finibus ſuis expellunt, (1) incompertum nobis eſt. Rectiſſime igitur poſſumus argumentari rependiſſe juſtiſſimum Deum tam impiam, ſoevam, & atrocem ab illo Coenobio ejectionem, inenarrabili illo, quo fuit perfuſus gaudio, quando Maldulum vidit coram proceſſiſſe ſumma benignitate illum excipientem, ad Eremum ſtatuendam in illo vicino tam amoeno colle illum invitantem; audivitque ab eodem Maldulo ſtupendam ſcalae viſionem; qua audita tamquam divino illuſtratus Oraculo, infernales fraudes agnovit, campum petiit, locum vidit, & Eremum illam conſtituit toto Orbi clariſſimam; quaeque Romualdinae Congregationi Camaldulenſis nomen promeruit.

V. Ab hiſce obſervationibus, quae quamvis piae videantur meditationes, abjiciendae non ſunt, & ad hanc Aeram illuſtrandam non videntur importunae, duo ſunt elicienda ad acta S. Romualdi illuſtranda valde accommodata. Alterum eſt, S. Romualdum ad Malduli montem aſcendiſſe quinque ſociis aſſociatum, quum quinque Cellulas ibi conſtruxiſſe ejuſdem B. Rodulphi teſtimonio nobis compertum ſit: Alterum S. Patrem ejuſque ſocios non veſtibus nigris indutos fuiſſe, ſed albis, quemadmodum in ſcalae viſione ii Sancti Viri ipſimet Maldulo apparuerunt. Ideoque ab hac ſcalae viſione credendum eſt, S. Romualdum non immutaſſe, ut nonnulli putant, colorem nigrum in album, ſed colorem album fore a ſuis aſſeclis retinendum ſtatuiſſe; quum per ea tempora Benedictinus ordo colorem uniformem non uſurparet in veſtibus, ſed illo uteretur, quem dabant lanae armentorum illius regionis, quam Monachi incolebant, nullo adhibito ad tingendas veſtes colore. [2]

VI. His praelibatis ad definiendam Aeram Camaldulenſis Eremi, ad trutinam revocemus acta, & ſtationes Romualdi, quas pariter incertas habemus ab anno 982. ad annum 996. Anno igitur 983. incoluit S. Pater *paludes Claſſenſes*; ob aëris malignitatem ſollicite *ad S. Martini in ſylva* perrexit; & tandem ad *Balneum* in Thuſciae ducatu profectus eſt, ubi *Vergaretanum* condidit Coenobium, & ſtationem ſuam fixit; ideoque apud *Balneum* ſtetiſſe Sanctum Virum vel labente anno 984, vel ſequentis initio argumentamur. In Coenobio *Vergaretano*, *non pauco tempore* manſit, ut ſcribit Damianus; [3] ergo moram S. Romualdi apud *Balneum* ad annos circ. IV. extendimus. Poſt ſtationem in *Vergareto* apud Balneum, alteram refert Damianus factam *non longe a Caſtris*, ubi aliquandiu perman-

(1) Cap. XVIII. num. 1. pag. 50.
[2] Annal. Camald. Tom. I. Lib. II. (3) Cap. XVIII.

Digitized by Google

manſit, donec juſſu S. Apollinaris ad *Claſſem* regreſſus eſt. Quia vero Ven. Vir ſolitariam ſibi vitam propoſuerat (annuente utique Abbate Claſſis) *ad Origarium* ſeceſſit, quo abire coactus eſt ob peſtiferum aërem, & declinavit *ad Pereum* loca Claſſenſi Abbatiae ſubjecta. In *Perei* ſolitudine ſine ſociis non vixit. Haec acta eſſe a S. Romualdo conjicimus ab anno 990. ad annum 992; quo anno in *Pereo* figimus ad annum 996., quando Otto III. Imperator S. Virum Claſſis Abbatem eſſe voluit. Igitur ab anno 985. ad annum 990. habemus ſpatium v. annorum, in quo *fundatio Camaldulenſis Eremi* facta eſſe potuit, & a *Vergaretano* Coenobio pulſus, ad illam fundandam, Deo duce, pervenire; & eremum conſtituere circa annum 987. Subſequentibus enim annis ſic S. Romualdi acta ſunt inter ſe unita, & concatenata, ut rationabilis locus haberi non poſſit ad illam deinceps ſtatuendam. Videamus. Anno, ut ſupra dictum eſt 996. S. Romualdus fuit ſelectus Abbas Claſſenſis. Tenuit hoc munus ad annum 998, & hoc anno Ottoni Tiburem obſidenti Abbatiam remiſit, & ad Caſinum cum Sammo, & Bonifacio mox martyrio coronato, aliiſque converſis Theutonicis perrexit, ubi egrotavit, ſed cito convaluit; & ad *Pereum* rediit, ibique diu manſit. Stationem itaque *Perei* ad annos IV. extendimus; & propterea ab anno 998. ad 1001. in *Pereo* manſit. Die vero IV. Aprilis hujus anni Ravennae S. Pater manebat a *Pereo* forte revocatus. [1] Hoc ipſo anno 1001. menſe circ. Junio navigavit *Parentium*; ubi tribus annis vixit: & circa medium annum 1004. ad *Bifurcum* progreſſus eſt. In *Bifurco* aliquandiu ſtetit: ergo circa duos annos: potuit propterea ad *Vallem-Caſtri* pervenire circa annum 1006., ut doctiſſimi Chronographi Camaldulenſes conjiciunt; & argumentatur eruditiſſimus Abbas Collina (2) & anno 1008. Monaſterium fundare, quo Farolfi donatio facta fuit. Reliquas S. Viri ſtationes habes in Tabula II. Luce propterea clarius apparet S. Romualdum ſpatium habere non potuiſſe magis accommodatum, & rationabile ad fundationem *Camaldulenſis* Eremi, quam illud, quod intercedit inter ſtationem factam in Coenobio *Vergareti*, & illam *non longe a Catria*. Accuratiſſimi Chronographi Camaldulenſes [3] optime animadvertunt Romualdum a Monachis Vergaretanis anno 986. ejectum, quo ſe receperit, Damianum omnino reticuiſſe. *Otioſum nihilo ſecius, & deſidem per haec tempora manſiſſe putare*, inquiunt, *non debemus*; & quidem optimè. Referunt propterea S. Romualdum a *Vergareto non longe a*

S 2 *Ca-*

(1) Annal. Camal. in App. docum. Tomo I. Docum. lxvi. pag. 161.

[2] Annal. Tom. I. Lib. VII. n. xlv. Collin. Vit. di S. Romuald. Tom. I. Cap. xxviii. pag. 197. & Cap. xxx. pag. 222.

(3) Lib. V. Tom. I. n. ix. pag. 186.

Digitized by Google

Catria manſiſſe; nos vero ad conſtituendum Camaldulenſe Coenobium proceſſiſſe. Laudati ſcriptores (1) perpendunt verba illa, quae ſparſim Damianus uſurpat = *Quodam tempore* = *alio quoque tempore* = Quae verba indicare dijudicant actorum S. Romualdi narrationis ſucceſſivam ſeriem S. Scriptorem non fuiſſe proſequutum. Idipſum dicendum eſt de particula illa = *aliquando* = quo initium habet Caput XIX. = *Aliquando autem Vir Sanctus non longe manſit a Catria* = cui particulae non videtur unitum antecedens Caput XVIII, in quo continetur expulſio S. Viri a Monaſterio *Vergareti*. Intermediam igitur ponamus fundationem Eremi Camaldulenſis; & hanc fundationem Damianus indicavit, quando miraculum Fagi in illa Eremo non tacuit, immo enunciavit per illa verba = *quam ipſe fundaverat* = ſane longe prius a miraculo ibi narrato.

VII. Tertiam producamus Tabulam ſtationum S. Patris, ut ſub oculis haberi poſſit chronologicus ordo illius actorum ab anno 982, ad annum 1001, quo navigavit Parentium, unde anno 1004. regreſſus eſt.

TABULA III.

982 Ravennam reverſus eſt
983 Manet in paludibus Claſſis, & ad S. Martini *in ſylva*.
984 Apud Balneum condit Monaſterium Vergareti. Manet *ibi* quatuor circ. annos: fugit turpiter ejectus & vapulatus.
987 *Camaldulenſem condit Eremum*.
989 Manet non longe a Catria
992 Redit ad Claſſem: pergit ad Origarium.
993 Pereum incolit
996 Ab Ottone III. ad Claſſem revocatur, & illius Coenobii Abbas dictus eſt.
998 Abbatiae nuncium remittit.
999 Redit ad Pereum.
1001 Navit Parentium, & ſtatim redit.

VIII. Acta deinceps S. Romualdi ab anno 1004. ad 1005, quo *Sitriae montem habitaturus aſcendit* habemus ſic inter ſe unita, & fideliter producta, ut nullus pateat hiatus, quo ſuſpicari poſſimus illum ad fundationem Camaldulenſis Eremi fuiſſe progreſſum. Ideoque rationabilior omnium nobis videtur Aera anni 987. circ. ad figendam in ea Eremi Camaldulenſis fundationem. Prae oculis etiam a nobis habendum eſt compendium illud actorum S. Romualdi factum

(1) Ubi ſup. num. XIV. pag. 189.

ſtum a Damiano Cap. LXIX. ubi legimus = *Vir Sanctus per multa alia habitavit loca : multa alia a diſcipulis perpeſſus eſt mala*. Miracula omittamus. Non debemus igitur tam anguſtis temporum ſpatiis includere S. Patris ſtationes, queis alia loca potuit incolere, Eremos, & Monaſteria alibi fundare ; ut locus non ſit ad haec exequenda. Hujuſmodi anguſtias evitamus, ſi ordinem ſtationum a nobis diſpoſitum non omnino contemnamus.

IX. Ex huc uſque dictis Lector animadvertat queis nos argumentationibus innixi Camaldulenſis Eremi fundationem aſſignemus ad annum 987 ; ideoque *Aquae-bellae* ſtatio, & ad *Sitriae* montem S. Romualdi progreſſus ann. 1013. nil officere noſtrae hypotheſi videtur, quum Camaldulenſis Eremi fundationem ab hoc anno removeamus, eamque anticipemus annis XXV ; & figamus anno 987. Alterum tamen argumentum ad expungendam ab anno 1012. Camaldulenſis Eremi fundationem nobis dat Henrici II. Imperatoris diploma datum prid. Kal. Jan. anno 1012. (1) cujus ſumma haec eſt = *In nomine Patris &c. Henricus Imperator Auguſtus. Dignum videtur noſtra imperiali clementia religioſorum virorum congruis petitionibus juſtè, ac rationabiliter acquieſcere. Quapropter noverint omnium Eccleſiae Sanctae Dei &c. qualiter nos &c. pro interventu religioſi viri Sancti Romualdi Monachi, & Eremitae quandam Abbatiam ad honorem S. Benedicti ſuper res noſtri juris conſtructam &c. conſtituimus, eamque permanere in proviſu, & diſciplina ejuſdem Venerabilis Viri D. Romualdi, ſuorumque ſucceſſorum in ipſa Eremo perſiſtentium vitam, & religionem ejuſdem ſervantium, modo ipſa tamen proviſio, & diſciplina contra regulam S. Benedicti non fiat, confirmantes &c. Volumus itaque & diſponimus, ut liceat D. Romualdo ſuiſque Succeſſoribus, & Abbati ipſius Monaſterii advocare quemcumque Epiſcopum ad Eccleſias conſecrandas &c. Dat. Ann. Dom. Incar. MXII. Ind. x. D. Henrici II. regnantis xxi. Imperatoris vero* VIII. *Actum prid. Kal. Jan. Ravenne feliciter Amen*. Hujus diplomatis notae Chronologicae apertè illud datum figunt non anno MXII, ſed MXXII. Attamen Cl. Jo: Lamius in Synopſi rerum ab Imperatoribus &c. in Etruria geſtarum figit datum pag. 78. anno 1015. pagina deinde 298. corrigit illum annum, & diploma expeditum affert anno 1012. (2) Tam docti Viri fide ad annum 1012. expeditum profero.

(1) Hoc diploma habetur apud Ughellium in Epiſcopis Faventinis Tom. II. Ital. Sacr. & apud P. Soldenium in quaeſt. Vallisumbr. Illud etiam producunt in ſuis Annalibus cl. illorum Scriptores Camaldulenſes in App. ad num. CIX. col. 150. Tomo I. ſuaſque ad illud animadverſiones ejuſdem Tom. Lib. X. n. 22. pag. 407. doctiſſimè proferunt.

[2] Sic cl. Lamius corrigens annum, quo

fero. (1) Cui certe patuerunt notae illae Chronologicae, quae ab hoc anno datum diploma illud expungunt; & tamen in correctione annorum, non illud refert ad annum 1022., sed ad ann. 1012. Si ergo hoc anno die ultima Dec. S. Romualdus manet Ravennae; nemo non videt non potuisse hoc eodem anno fundare Camaldulensem Eremum; cum illum videamus stantem in Regione a Camaldulo tam longinqua.

X. Si vero hoc S. Henrici diploma nullum robur habere contendatur ad statuendum Imperatorem illum Ravennae prid. Kal. Jan. MXII., maximum tamen robur habet ad firmandam Romualdi reformationem factam sub regula S. Benedicti ante annum millesimum. In *Bifurco* enim, cujus favore datum est diploma illud, vivebant jam Monachi *in proviſu*, *& diſciplina S. Romualdi*; & jubet Imperator, ut inibi Monachi vivant *vitam & religionem ejuſdem &c. modo ipſa proviſio & diſciplina contra regulam Sancti Benedicti non fiat*. En Imperatoris voluntatem, ut Monachi ſervent regulam Sancti Benedicti; attamen *ſub proviſu*, *& diſciplina Sancti Romualdi*, & *vitam*, *& religionem ejuſdem profiteantur*: quo apertiſſime patet S. Romualdum jam tunc novi ſui inſtituti methodum jamdiu propagaſſe; & propterea Thebaldum Aretinum Epiſcopum Romualdum *Pium Eremitarum Patrem* (2) nuncupaſſe diplomate ſuo anno 1027.

quo datum fuit diploma, pag. 298. ſub tit. = *Male a nobis anno* 1015. *in Syncpſi id adnotatum fuerat; ſed ab* αντιγραφο *quodam deceptis.*

[1] Sententiam doctiſſimi Lamii ſequitur etiam Vallemontius *Elementi della Storia*. Lib. VII. cap. I. ubi ad annum 1012. figit Henricum a Benedicto VIII. Imperatorem coronatum ad S. Petri.

[2] An Avellanitarum? & quae difficultas? In Romualdum ſplendidiſſimum ſanctitatis lumen, totique Orbi celeberrimum Monaſticus ordo, & praeſertim ſevenioris obſervantiae Monachi oculos intentos habebant, & quinam ſeveriores Avellanitis Sitriae ſolitudini proximis, in quorum receſſu Monaſtica ſimul, & Eremitica vita colebatur, quod erat praecipuus Sancti Romualdi ſpiritus & character? Sanctus Joannes Laudenſis Monachus erat Avellanitas, & de eo ſcribit Anonimus illius vitae ſcriptor cap. VII. *Si quos aliquando peregrinos, ut mos eſt, Monachos aliqua nobis occaſio applicaret, ſeriatim mox ille* [Joannes] *illorum mores, & ordinem ſagax attenderet; & ſi quod in eis agnoſceret imitandum praſto ab eo, ac ſi divinitus oblatum foret apprehenſum* = Si ergo Sancti illi Monachi Avellanitae ab aliis Sanctis Monachis ad illos ſorte advenientibus, virtutes carpebant, moreſque imitandos; quid conjiciendum eſt illos perfeciſſe contemplantes Romualdi admirabile vitae genus & virtutes: quum, in Sitriae Monte permanente Romualdo, vel illi ad Sitriam accederent, vel Romualdus ad Avellanam? Poſſumus hinc tuto conjicere Romualdum Avellanitas perſaepe inviſiſſe, praeceptis ſolitariae vitae illos inſtituiſſe, & ad conceptum vitae fervorem ſervandum confortaſſe. An non licet etiam argumentari S. Romualdum ab Avellanitis ad proximum illorum Coenobium invitatum, & frequenter viſitatum & coeleſtis ejus doctrinae pabulo refectos? Haec & alia hujuſmodi, & quicquid doctiſſimi Chronographi Camaldulenſes

1027. expedito. Quotquot enim per illa tempora Eremitae florebant omnes veluti Patrem ſuum Virum hunc ſanctiſſimum venerabantur. Haec ſatis ſint circa res in Dioeceſi Camerinenſi a S. Romualdo geſtas. Judicio tamen 560. doctiſſimorum Monaſticae hiſtoriae cultorum, & praeſertim CC. VV. Chronographorum Camaldulenſium, cum quibus mihi dulciſſima amicitiae conſuetudo eſt, quibus meam hanc diſſertatiunculam offero, illorumque correctionem libentiſſime amplector, paratus ſemper meam vel corrigere, vel retractare ſententiam. [1]

CA-

ſes de Romualdo ſcripſerunt Tom. I. Lib. V. in calce pag. 186., & 187. proſequuntur, tamquam rationi conſonum libenter admitto. Si quis vero me carpere vellet, quia Cap. VII. actorum S. Dominici Loricati, quando exponens verba illa Vitae S. Romualdi = *Aliquando Vir Sanctus, non longe manſit a Catria* = apertè negavi in Avellanenſi Coenobio Sanctum Romualdum fuiſſe tunc diverſarum, ſed *non longe a Catria* illum fixi, & non in Catria; rationem hic proferam, cur id auſus ſim aſſerere; & illa fuit; quia quo tempore Sanctus Romualdus *non longe manſit a Catria* Avellanenſe Coenobium nondum erat aedificatum: ſententiam amplexus illorum ſcriptorum, & quidem optimè notae, quos Abbas Collina producit in ſuis actis S. Romualdi Cap. XVIII. pag. 126, & 127; qui Congregationis Avellanenſis fundationem ſub Silveſtro II. anno circ. 1000. figunt. Si ergo Romualdi ſtatio *non longe a Catria* figenda videtur circa ann. 989. ad annum 991, & a Catria ad Claſſenſe Coenobium illius tranſitus anno 992, ut in ſuperiori III. Tabula ſignavimus quis non videt Sanctum Romualdum x. circ. annis, antequam Avellanenſis Conventus eſt fundatus, juxta laudatos Scriptores manere non potuiſſe in Coenobio Avellanae nondum fundato ideoque manſiſſe *non longe a Catria*. Mirandum idcirco non eſt, ſi Damianus ſcriptor accuratiſſimus nil de ſuo Avellanenſi Coenobio in actis Sancti Romualdi ſcriptum reliquerit? Coeterum in Avellanitis Eremitis praelucere ſpiritum S. Romualdi apertè ſcripſi in actis S. Dominici Loricati, in quibus Cap. I. pag. 79. Sanctum Romualdum Eremitarum *Patrem*, & Eremiticae vitae *reſtauratorem* dixi; & Cap. VII. pag. 98. vitae genus commune, & Avellanenſibus, & Romualdi diſcipulis non tacui; eundemque in iiſdem praelucere Romualdi ſpiritum aperte aſſerui. Ulterius progredi non potuit. At nonne ſatis ſuperque illud eſt, ex iis, quae ſparſim in mea opella ſcripſi, ad firmandos Avellanitas, Eremitas morum & inſtitutionis Sancti Romualdi fuiſſe ſectatores? Haec utique mea ſententia eſt; idque palam affero ad pateſaciendam ſummam meam erga S. Patrem venerationem; ad atteſtandum erga illius illuſtres filios, & alumnos, quo velut Angelos illos a Maldulo per ſcalam viſos honore proſequor amorem. Si quid contra S. Patrem, ejuſque filios incautè forſan protuli, alacer retracto; & ad veri ſenſum reduco.

[1] Integrum hoc meum Commentarium de actis S. Romualdi, & praeſertim meam de *Aquabella* conjecturam Camaldulenſes PP. aequo animo exceperunt, illamque iiſdem monumentis probarunt ab humaniſſimo Buto poſtea receptis Tom. III. Lib. XXIX. num. XXIV. Annal.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Episcopis Romualdo, Azone, & Attone.

I. Romualdus interfuit canonizationi S. Uldarici anno 993. De nostro Romualdo affertur quicquid scribit Vghellius, & Coletus. Sub nostro Romualdo *supremum clausit diem in Valle-Castri S. Romualdus Pater Camaldulensium.*

II. Vghellii, & Coleti sententiae non admittuntur. Chronistarum Camaldulensium opiniones de Romualdo nostro, & S. Romualdo illorum Patre referuntur. Romualdus Camerinensis *a Damiano dictus diversus & a* Romualdo *nostro inter Sanctos non habito Lilii opinio de* Romualdo Camerinensi *rejicitur.*

III. Romualdi fuit in Episcopatu successor Azo, *qui interfuit Romanae Synodo anno* 1229.

IV. Azoni *successit* Atto *obsi natus in Canonizatione S. Gherardi Episcopi Tullensis. Nescimus definire an idem sit ac* Azo.

I. REdeamus aliquando ad nostrum Antistitem *Romualdum*; postquam Sanctissimo Camaldulensis familiae Patri aequissimas grati animi laudes persolvimus. Labente seculo x. anno scilicet *993.* florebat *Romualdus* in Cathedra Camerinensi; illiusque nomen obsignatum legimus in actis illius solemnis Conventus, in quo Sanctorum fastis adscriptus fuit Uldericus Episcopus Augustanus enunciato anno *993.* Idipsum refert Lilius (1) in sua historia. De nostro Romualdo scribit Ughellius in serie nostrorum Antistitum num. XII. = *Romualdus anno 993. subscripsit Canonizationi S. Uldarici Episcopi Augustani. Item anno* 1027. *ejusdem nominis Episcopi habetur memoria apud Baronium qui tamen anno* 1052. *meminit etiam cujusdam Romualdi item Episcopi Camerini. Itaque mihi injecit scrupulum, an duo Romualdi essent, an unus qui L. annos Cameriuam Ecclesiam administraverit. Quod cum non videatur impossibile, commodius erit afferere ejusdem semper meminisse Baronium; quando nullum omnino tempus occurrat medium, in quo alterius nominis Pontifex Camerinam obtinuerit sedem. Ad Romualdum Episcopum Camerinensem scribit S. Petrus Damianus.* Haec Ughellius. Eruditus vero Coletus in nova sua Ughelliana editione producit *Azonem* Episcopum Camerinensem ad annum 1029: *Quo prodeunte Episcopo* (scribit ille) *nullum amplius est dubium, quin duo fuerint Romual-*

(1) Lil. P. I. L. V. pag. 144.

Digitized by Google

mualdi, quorum memoria habetur ab anno 993. ad 1052. Hinc post Azonem adnumerandus alter Romualdus = In ſequenti §. ſenſus noſtros proferemus. Interim nos extremum producamus actum S. Romualdi in noſtra Dioeceſi omnium excellentiſſimum, & ſui in illam amoris incomparabile monumentum; & illud fuit; quum, ſedente adhuc in Camerinenſi Cathedra *Romualdo*, ad Vallem-Caſtri anno 1027. S. P. regreſſus, in illa ſolitudine extremum obiit diem; ſuique beatiſſimi Corporis Camerinenſem Eccleſiam fecit haeredem.

II. Duos igitur *Romualdi* nomine Epiſcopos ſuſpicatur Ughellius; quos in noſtra Eccleſia floruiſſe aſſerit Coletus. Nos ea quam decet hos Scriptores reverentia aliter ſentimus. Anſam laudatis Scriptoribus ad haec ſuſpicanda dederunt verba Damiani, quae leguntur in Opuſculo VI, nempe in libro a Damiano = *GRATISSIMVS* appellatus = quae ſunt hujuſmodi = *Noſtra quippe aetate beati viri, videlicet Rondaldus Camerinenſis, Amicus Rambonenſis* [1] *Guido, Pompoſianus, Firmanus Firmenſis, & quamplures alii ſanctae converſationis ſtudio floruerunt, ſuper quorum videlicet veneranda Cadavera ex Sacerdotalis auctoritate Concilii ſacra altaria ſunt erecta &c.* quos memorat Baronius ad annum 1052. Romualdum tamen clariſſimus hic ſcriptor Epiſcopum Camerinenſem non appellat. Mabillonius [2] hos Sanctos ſic illuſtrat = *Primus ex illis eſt Sanctus Romaldus, vulgo Romualdus in editis Conſtantini Cajetani mendoſe Rondaldus, apud Baronium Ronaldus, dictus hoc loco*

T *Ca-*

[1] *Amicus* iſte a Damiano memoratus eſt celebris ille abbas Rambonenſis (corrupte *Rambibonenſis* dictus) cujus exuviae in Monaſterio Rambonae venerantur; ut diximus in Diſſertatione praelim. (cap. ul. timo num. 5. in not. pag. 72.) P. Cameranius V. C. in ſuis additionibus ad Lilii hiſtoriam (Patt. I. lib. VII.) nonnulla profert de noſtro S. *Amico*, quae indigent caſtigatione. Aſſerit enim *Guidonem Ronaldum* ſeu *Romualdum*, *Firmanum* & *Amicum* Epiſcopali honore fuiſſe inſignitos; quod nequit ſuſtineri. Damianus idcirco hos recolit Ss. Viros ad probandum: quod, quamvis ii a ſimoniacis Epiſcopis fuiſſent ordinati, inter Sanctos tamen ab Eccleſia recenſerentur. Inſuper *Amico* ſedem Epiſcopalem, immo & patriam laudatus Scriptor dat Ratisbonam: quod ſi verum eſſet, quae ſedes danda foret *Guidoni*? num Pompoſa? quae *Firmano*? num *Firmum*? In ſerie Epiſcoporum Firmanorum non habetur *Firmanus*, ſicuti nec in ſerie noſtra locum habet *Romualdus* Sanctus, ut probare contendimus. Quatuor ii Sancti Viri fuerunt Abbates, *Guido* Pompoſae, *Firmanus* in Coenobio ad oram Potentiae in Dioec. Firmana, & *Romualdus* Vallis-Caſtri in Dioec. Camerinenſi, ubi ſanctiſſime obiit; & *Amicus* in monaſterio *Rambonae* de quo in Diſſertatione praelim. (cap. I. §. v. num. 3. in not. pag. 12.) Ex his colligimus, longe diverſum eſſe *Amicum* noſtrum ab illo Monacho Caſſinenſi, cujus acta ſcripſit Monachus Bernardus, & habentur m. ſs. in Monaſterio S. Petri de Avellano in comitatu Sagrenſi in Samnitibus; cujus Lipſana venerantur in illa Eccleſia. Noſtri vero S. *Amici* exuviae colunntur in Eccleſia Rambonenſi, in qua ſuperſunt adhuc de hoc S. Viro non obſcurae reliquiae.

[2] Annal. Tom. IV. pag. 530.

Digitized by Google

Camerinenſis a Camerina Civitate, in cujus Dioeceſi mortuus eſt, & ſepultus Sanctus Romualdus, nimirum in Monaſterio Vallis de Caſtro, quod ab ipſo conditum erat = & neque Mabillonius *Romualdum* alium fuiſſe dijudicat, quam Abbatem illum Sanctiſſimum Camaldulenſis Congregationis praeclariſſimum Patrem. Proferamus nunc doctiſſimos ſenſus Chroniſtarum Camaldulenſium (1) quos, relata cl. Mabillonii opinione *de Romualdo Camerinenſi*, proferunt = *Quid ſi diceremus, deſignari hoc in loco a Damiano Romualdum Camerinenſem Epiſcopum, qui obiit ante annum* 1029, *quo reperitur ipſius ſucceſſor Azo ſubſcribens Synodo Romanae ejuſdem anni, de quo Romualdo mentionem faciunt Vghellius, & Jacobillius, neque referenda eſſe verba Damiani ad Romualdum noſtrum Abbatem Valle-Caſtrenſem? Cur enim Damianus Civis Ravennas ſcribens ad Henricum Ravennatem itidem Archiepiſcopum Romualdum noſtrum non appellaſſet Ravennatem a Ravenna, in qua urbe habuit ortum, commorationem plurium annorum, atque regimen Abbatiarum Claſſenſis & S. Adalberti? Praeterquamquod, cum in eo libro loquatur Petrus de Sanctis Viris, quos conſtabat ab Epiſcopis ſimoniacis ad Sacerdotium provectos fuiſſe, id forte non contigit Romualdo Ravennati, qui probabiliter in partibus Venetiarum, aut Ravennae ordinatus fuit Sacerdos mediante ſeculi x. antequam ſemen peſtiferum Simoniae in Italia tam altas radices figeret. Ceterum Romualdos binos Camerinenſes Epiſcopos diſtinguit Nicolaus Coletus continuator, & emendator Vghellii; primum Epiſcopum jam ab anno* 993, *quo ſubſcriptus reperitur canonizationi Sancti Udalrici Epiſcopi Auguſtani; Secundum vero, cujus meminit Baronius ad annum* 1052. *Vghellius inſuper ait, Petrum Damianum ſcripſiſſe ad Romualdum Epiſcopum Camerinenſem, quod tamen incertum ducimus, cum in ſerie epiſtolarum editarum Damiani nulla reperiatur, quae data ſit Romualdo Camerinenſi Epiſcopo. Facile Vghellius, loco mentionis factae de Romualdo a Damiano, arbitratus eſt hunc illi epiſtolam ſcripſiſſe. Si quis autem velit ſuſpicari praelaudatum teſtimonium Damiani intelligere de Romualdo Camaldulenſium inſtitutore, ipſum ita explicare poterit, ideo ſcilicet appellatum fuiſſe Romualdum Abbatem Camerinenſem, quia in Camerini dioeceſi abbatiam condidit, & rexit Valle-Caſtrenſem, in qua etiam ſepulcro fuit donatus, Altari decoratus & miraculis illuſtratus; eodem nimirum modo, quo Guidonem ab abbatiae Pompoſianae regimine Pompoſianum fuiſſe Romualdum appellat, licet origine ſua eſſet Ravennas, & ſicut ceteri, quos Damianus nominat, ſunt omnes Monachi, ita & ſub Romualdi nomine non Epiſcopum, ſed Monachum & Abbatem deſignari. Quibus*

(1) Annal. Lib. xi. Tom. II. num. xxviii. pag. 36.

bus admiſſis, licentia Apoſtolica erigendi altare ſuper venerandum Romualdi Corpus roborata fuiſſet auctoritate etiam Sacerdotalis Concilii, ut colligitur ex ſupralaudato Damiani teſtimonio = Haec habent diſertiſſimi ſcriptores de Romualdo. Alteram e duabus horum ſcriptorum opinionibus tutius ampleſtendam eſſe dijudico. Floruit utique *Romualdus* anno 993. Epiſcopus Camerinenſis; & poſt hunc anno 1029. *Azo*: Poſt Azonem vero in mea ſerie habeo *Actionem* ad annum 1049; qui forte idem erat ac *Azo*. Forte etiam non ex infra dicendis; & *Romualdus* ille, quem Baronius recolit ad annum 1052. ille ipſiſſimus eſt, cujus meminit Damianus in laudato Opuſculo VI; qui *ſanctae converſationis ſtudio* erat inſignis; nec Epiſcopali caractere apparet ornatus; quod etiam fatetur Lilius [1] qui tamen aſſerit illum eſſe unum e divis Camerinenſibus, & *Ranoldum* vocat, quod aeque falſum eſt. Nunquam enim Camerinenſis Eccleſia *Ranoldum*, ſeu *Ronaldum*, ſive *Romualdum* aliquem, veluti ſuum vel Antiſtitem, vel Alumnum venerata eſt. Nullum templum, nulla ara, nullum monumentum inveniuntur, quae id comprobent. Quamvis Lilius [2] ingenio magis quam veritate fiſus ſtudeat aliquale templum apud Montulmenſes expiſcari *S. Rainaldo* Ordinis Cruciferorum ſacro, de quo Bollandus (3) ad diem XXIII. Januarii; & illud ſuſpicetur S. Ranoldo ſacrum. Sed hae nugae ſunt. Unum igitur Romualdum admittamus in noſtra ſerie Epiſcopum, omnino diverſum ab illo a Damiano memoratum. Si enim idem eſſet, inter Sanctos Romualdus noſter eſſet recenſendus, quemadmodum recenſetur Romualdus Camerinenſis: at Camerinenſis Eccleſia praeter *Leontium* & *Anſovinum* nullum alium probare poteſt Epiſcopum ſanctum.

III. Romualdi ſucceſſor fuit *Azo*; quem nobis exhibent acta Romanae Synodi habitae menſe Decembri anno 1029. Indict. VIII, ſeu XIII. (4) tempore Joannis XIX. Rom. Pont., in qua privilegium Popponi Patriarchae Aquilejenſi conceſſum irritatur, & Gradenſis Eccleſia Venetiae, & Hiſtriae Metropolis confirmatur.

Forte Epiſcopus iſte ſuam contulit operam, ut S. Romualdus

[1] Lil. P. I. Lib. VII. pag. 199.

(2) Lil. ubi ſup. pag. 200.

(3) Act. SS. Tom. I. Jan. ad diem 23. Jan.

[4] Animadvertit Labbeus (in Collat. Conc. Tom. XI.) datum videri ex Indict. VIII. Synodale decretum non anno 1029, ſed 1024. *Verum in ea indictione*, ait, *mendum ineſſe oportet. Siquidem privilegium Popponi conceſſum eſt indict. X., ſeu*

mavis XI., ut vult Pagius. Fortaſſe pro indictione VIIII. reponenda eſt indictio XIII; adeo ut coacta Synodus ſit, & emanarit ſententia jam anno labente 1029. = Illi ergo ſententiae ita ſe ſubſcribit Antiſtes noſter = *Ego Azo Epiſcopus Camerinenſis*: Videndus de hac ſententia Bernardus de Rubeis monumentorum Eccleſiae Aquilejenſis Cap. IV. n. VII. col. 522.

Digitized by Google

Abbas anno ab ejus obitu quinto 1032. ſuper illius Venerabile Corpus altare ad ſacra peragenda elevaretur, publicoque cultui donaretur Apoſtolica implorata auctoritate, ut habet Damianus. (1)

IV. In diplomate S. Leonis IX. (2) qui inter Sanctos retulit Gherardum Epiſcopum Tullenſem anno 1049 apparet obſignatus *Atto Camerinenſis Epiſcopus*. Cl. Manſius (3) Concilium, in quo datum fuit diploma illud, figit ad annum 1050. poſt albas circa diem XXIX. Aprilis. An *Azo*, cujus ſupra meminimus, & *Atto* iſte ſit unus idemque Epiſcopus definire non audeo. Recentior enim memoria, quam habemus de *Attonis* ſucceſſore, qui fuit *Ugo*, eſt de anno 1059. ad annum 1094; & vixiſſe comperimus Epiſcopum annos ſupra XXXV. Non ergo poſſumus *Ugonis* Epiſcopatum excogitare multo priorem anno 1059. Ab hoc anno ad annum 993. quo *Romualdi Azonis* praedeceſſoris poſtrema memoria habetur intercedunt anni LXVI. Fieri vix poteſt, ut unus *Azo*, qui idem ſit ac *Atto* medius inter Romualdum, & Ugonem tandiu vixerit. Ideoque, ni velimus inter hos ſpatium aliquod excogitare alteri ignoto Epiſcopo aſſignandum, ab *Azone Attonem* diverſum eſſe ſuſpicor; quamvis ab anno *Azonis* 1029, ad illud *Attonis* ſucceſſoris 1059. anni tantum intercedant XXX, queis *Azo*, ſeu *Atto* potuit ſolus Eccleſiam gubernare. Viderint id Eruditi.

(1) Dam. Vit. di S. Rom. Cap. lxxii.
[2] Mabillonius diploma vulgavit ex Codice ms. Divi Manſueti Tom. IV. pag. 739. Anec.
[3] Tom. I. pag. 1191.

CAPUT VI.

De Ugonis I. Epiſcopatu.

I. Ugo anno 1059. intereſt Concilio Romano ſub Nicolao II.
II. Obiit ſub hoc Epiſcopo S. Dominicus Loricatus anno 1060.
III. Aedificat novum Templum S. Severino Epiſcopo Septempedano, & favore illius Eccleſiae dat Diploma anno 1061.
IV. Illius Eccleſiae Canonicos Parochos Ugo conſtituit. Multis privilegiis Rom. Pontificum, & Imperatorum illi Canonici decorantur.
V. Conſecrat Ugo Altare Eccleſiae S. Urbani in ora Eſinantis in Agro Pyrano. Datur inſcriptio. De Coenobio S. Urbani, & Ugonis multa proferuntur.
VI. Deſcribitur Templum S. Urbani, & ejus Confeſſio. Exhibetur au-

antiquiſſima, & obſcura inſcriptio. Dantur viciſſitudines hujus Monaſterii.

VII. Confert Vgo aliqua privilegia Coenobio S. Mariani prope San-Severinum, & unit Eccleſiam S. Abundii Eccleſiae S. Severini.

VIII. Vghellius, & Lilius ſcribunt Vgonem fuiſſe amicum S. Petri Damiani: id eſt incertum, ſed probabile. Si verum, Vgo noſter a Damiano laudatur.

IX. Inveſtigatur, qua aetate erat Damianus anno 1061. Hinc argumentatur dies natalis ejuſdem Damiani.

I. POſt Attonem Epiſcopus Camerinenſis habetur *Vgo*, de quo multa nobis ſuperſunt documenta; diu enim Eccleſiam ſibi commiſſam adminiſtravit. Anno ſiquidem 1059. in Concilio a Nicolao II. Laterano habito legitur *Vgonis* obſignatio: idque non ſolum ex actis in Chronico Farfenſi a Muratorio (1) vulgato, ſed ex Codice Vaticano ab Ughellio producto, & ab iiſdem actis a Labbeo (2) relatis apertiſſime conſtat.

II. In magnam incidiſſe moeſtitiam *Vgonem* noſtrum credimus, quum inſequenti anno 1060. ad radices Suavicini Montis, & in Monaſterio SS. Trinitatis ſupremum obiiſſe diem intellexit die XIV. Oct. admirabile illud poenitentiae miraculum Dominicum Loricatum, in cujus actis a me jam publici juris factis non paucas impendi curas ad aeram emortualis Dominici anni definiendam, quam doctiſſimi, & amiciſſimi Chroniſtae Camaldulenſes (3) ſunt amplexati; omneſque difficultates contra illas excitatas novis argumentis diluerunt. Lilius expiſcari non potuit Coenobium illud ad radices Suavicini Montis a Damiano fundatum; illudque corruiſſe ſuſpicatus eſt. Aſſerit tamen in hoc ſibi ignoto Monaſterio ſtationem fixiſſe Bonifacium Ducem, & Marchionem, [4] quando anno circ. 1050. ad Camerini expugnationem proceſſit; & tunc Damianum ſuas ad Bonifacium ſcripſiſſe litteras, in quibus inter alia haec habentur = *De Monaſteriis autem, quae nunc tibi vicina ſunt ex Dei parte deprecor ..... Ut manus illis tuae defenſionis adhibeas, & ab exercitus multitudine, qui tecum ſunt, non depredari permittas &c.* Lilius tamen nil certi profert: & Monaſterium a S. Damiano conditum ſtatio eſſe non poterat opportuna ad ducem illum excipiendum. Quemadmodum igitur locum ſtationis Bonifacii neſcimus; ſic Monaſteria ſtationi illi proxima penitus ignoramus.

III. In-

(1) Rer. Ital. Part. II. pag. 647.
(2) Collect. Concil. Tom. XII.
[3] Part. I. Lib. VII. pag. 201.
[4] Lil. ubi ſup.

Digitized by Google

III. Insignem Ugonis memoriam habemus anno 1061, quo Ecclesiam, *regnante D. Enrico Imperatore, & Gottefredo Dux & Marchio in mense Octub. per indicione tertia.... in onorem Beate Marie Virginis & omnium celestium aminum in onore beatissimi Sancti Severini edificare cepit in Castello, qui dicitur ad Sanctum Severinum*; & a fundamentis magnifice excitavit. Quum enim templum Deo in honorem S. Severini sacrum jampridem a Septempedanis in vertice Montis Nerii constructum ad populum excipiendum evasisset angustum, *Ugo* novum templum magnificentius erexit; pluribusque immunitatibus, ac privilegiis exornavit. Quo magis enim decreverat timor desolationum a Gothis prius, deinde a Langobardis illatarum, eo magis dispersorum Septempedanorum in novo Castello creverat numerus. Incolae propterea novi Castri *ad Sanctum Severinum* nuncupati ad radices collis commodiore scilicet in loco sedes figere coeperant, ibique Septempeda Civitas Sancti Severini circa VII. seculum reflоruit, sine tamen pastore suo ut supra cap. VI. lib. I. §. VI. fusè disseruimus. Integra in tabulario Ecclesiae Cathedralis San-Severinatis servatur *Ugonis* scheda pro aedificatione novi templi, quam refert etiam Lilius (1) sed parum castigatam, & a suo autographo discrepantem, quam propterea damus in Appendice fidissime exscriptam.

IV. Habes ab illo Ugonis diplomate ante illius tempora Canonicorum collegium in Ecclesia Sancti Severini fundatum. Ibi enim legimus Ugonem Sacerdotum illi Ecclesiae ordinatorum occurrentem indigentiis, constructo novo templo, assignasse *Omnem parochiam, & decima ipsius Castelli Sancti Severini*. Deinde sese obligavit *Ugo = quod nullam Ecclesiam facimus, nec permisserimus aliquem facturas nisi consensu & voluntate beatissimi Sancti Severini Confessoris; & Sacerdotes, & alii, qui sunt ordinati in ipsa Ecclesia Sancti Severini* =. En ab Ugone Sacerdotes ordinatos in Ecclesia Sancti Severini constitutos Parochos, quo munere hodieque funguntur Canonici *veteris Capituli* nuncupati, Quo vero tempore ante Ugonem Canonica, & quidem regularis, ut conjicit Muratorius [2] esset ibi constituta, utpote vetustissima, non liquet. Quum tamen a recentioribus actis Sancti Severini compertum nobis sit, Virum hunc sanctissimum Canonicum ordinem in sua Dioecesi passim restituisse, atque ab iisdem actis constet vixdum excitato Sancti Severini templo in vertice Montis-Nerii, quod factum est post illius Sacri Corporis illuc translationem, Sacerdotes quamplures, qui e suis aedibus ejecti errabant, eo loci confluxisse; ibique eversum

(1) Part. I. Lib. VII. pag. 203. (2) Antiq. Ital. Diss. LXII.

Digitized by Google

sum Septempedanae Ecclesiae Clerum reflorescere coepisse, vix dubitare audeo, quin initium Collegii Canonicorum Ecclesiae Septempedanae, quod nunc est, quodque Ugonis beneficentiam expertum est, ad ea tempora sit referendum. Romani Pontifices, & Imperatores (1) specialibus dein privilegiis decorarunt Collegium istud, quorum diplomata in tabulario San-Severinatis Ecclesiae servantur. Alterum ex iis in Appendicem amandamus.

V. Vivebat adhuc *Ugo* anno 1086, quo insignis templi Coenobii S. Urbani (2) ad fluvii Asinantis oram in agro Pyrano aram so-

(1) Alexander III, Clemens III, Caelestinus, & Innocentius pariter III. specialibus protectionis diplomatibus Canonicam Sancti Severini decorarunt, & multa privilegia concesserunt, quae postea Gregorius IX. suis Apostolicis literis dat. Perusii Indict. 1. Idib. Aug. per manum Martini S. R. E. Vice-Cancellarii confirmavit. Alia privilegia ab Imperatoribus Friderico I. Ottone IV. & Henrico IV. reportavit. Census hujus Canonicae, praedia, Sacerdotia, aliaque stabilia bona erant: Ecclesiae XXI. cum eorum pertinentiis, Campus Cesani [forte erant latifundia illius pagi hodie *Cesolo* dicti a San-Severino supra M. pass. dissito] quem Fridericus I. eidem Canonicae largitus est: tota Curia & homines Castri *Palliorisi* cum sylva in Agro Septempedano; praedia multa in Valle Mathilicana, & Tolentinate, praeter alia honoraria jura, praedicta Canonica a laudatis Rom. Pontificibus cumulata.

(2) Vetustum sane fuit Coenobium Sancti Urbani. Florebat enim ante XI. seculum. Ab archivo Monachorum Montis Oliveti Fabrianensium ab amicissimo Domno Gabriellio Maria Guastuccio Camaldulensi schedam accepi, integram in Appendice exemplatam; quae continet concordiam inter *Gisbertum* Abbatem S. Urbani, & Attonem Abbatem S. Victoris de Clusis in agro Fabrianensi, de quo alias, confectam anno 1033. cujus initium est = *In nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancti anno Deo propicio pontificatu domno tufelatu, & universali papa &c. anno ejus primo: & sunt anni Domini mille trenta tres & regnante domno corradu &c. anno ejus sexto & die mense ma.... per indi-*

cione prima = Hoc insigni documento in suis singulis partibus authentico, & syncero manifeste patet nostri Coenobii vetustas. Insuper magnum emolumentum habet Ecclesiastica historia. Illo enim & obitum Joannis XIX, & electionem Benedicti IX. propius possumus definire, quam antea fuerit tentatum. Obiisse siquidem Joannem anno 1033. plerique scriptores conveniunt cum Pagio. Joanni datum fuisse successorem Benedictum Nonum, certa res est. At quo die, & quo mense obierit Joannes, & electus fuerit Benedictus penitus ignoratur. Glaber (lib. IV. hist. Franc. cap. 5.) scribit Benedictum IX. subrogatum fuisse patruo suo Jo. XIX. v. Idus Decembris. Bosius in Roma Subterranea [Lib. II. Cap. VI. pag. 40.] obiisse Joannem vult VI. id. Nov. anni 1033. Muratorius in Annalibus ad annum 1033. asserit Joannem successorem habuisse Benedictum mense Junio; & hac ratione suspectum habet diploma a Hieronymo de Rubeis clarissimo scriptore Ravennate relatum [lib. 5. hist. Rav.] in quo hoc anno legitur annus tertius pontificatus Benedicti ad diem 25. Junii. Item in Bullario Cassinensi, & in Annalibus Benedictinis Mabillonii documenta referuntur, queis Benedictus ad Petri clavum ascendisse credendus foret anno 1032. sic scriptores circa annum, & mensem Joannis obitum & Benedicti electionem fluctuant. Nostra tamen charta scimus *Tufelatum*, idest *Theophilactum* fuisse jam papam ante mensem ma.... idest *Martium* anni 1033. sic enim legendum est illud *Ma*.... quamvis importuna tinea reliquas litteras roserit. Fuit expeditum illud diploma *sexto anno* Contadi Impe-

Digitized by Google

solemni ritu consecravit, cujus rei testis est inscriptio haec ad aram ipsam posita.

✠ A. D. MVIII. † VI. T. D. C†. P. P. (1)
C. A. D. VG. EPO. IN. H. S. VRB. P. P.
STVDIO. D. ACT. Abb. IND. VIIII.
HEC ARA SCA. ✠

Hujus Monasterii Abbas, & Monachi ampla possidebant latifundia, pingues census multarum Ecclesiarum jura, & Sacerdotia (2) triumque Castellorum principatum : totius nempe Castri Sancti Urbani ad

peratoris. Atqui Conradus fuit coronatus Romae die 26. Martii anni 1027, ut habet Muratorius in Annal. ad hunc annum : igitur sextus imperii Conradi annus completur die 25. Martii 1033 ; ideoque mense Majo dicti anni non VI, sed VII. annus ejusdem foret imperii ; & ab hac Caesaris Chronologiâ syllaba illa *Ma* non *Majum*, sed *Martium* mensem indicare deprauenditur. Asserendum propterea est Joannem... obiisse, & Benedictum electum fuisse infra mensem Januarium, & Februarium anni 1033. non modico chronologici puncti lucro.

(1) Pontifex iste alius non est nisi Gibertus Archiepiscopus Ravennas electus Pontifex a fautoribus pessimi Henrici III. a S. Gregorio VII. excommunicati ; Fuit Gibertus pseudo Pontifex, qui sibi nomen posuit Clementis III. Forte Monachi Sancti-Urbanenses Hentico adhaerebant ; anno 1086. Sedes vacabat ; & non nisi post annum Desiderius Abbas Casinensis, qui constanter iterum iterumque summum Pontificatum abdicaverat, fuit R. Pontifex ordinatus ; & vocatus Victor III. Timore forsan impii Henrici Monachi S. Urbani Clementi adhaeserunt ; ni velimus potius credere Monachos Sancti-Urbanenses una cum *Ugone* Episcopo nostro Clementis III, fuisse fautores. Siquidem in Romano Concilio a S. Gregorio VII. celebrato anno 1079, quo Berengarius haeresim suam iterum... ejuravit, & Henricus fuit imperio spoliatus, & excommunicatus, pari excommunicatione Gregorius mulctavit *Ugonem* Episcopum Camerinensem, & Episcopum Firmanum, *cum sequacibus suis tam clericis, quam laicis*, ut habet Harduinus (Concil. tom. VI. pag. I. col. 1586., & Baron. Annal. Tom. XI. ad ann. 1079. n. 11.) In suis additionibus ad Lilii historiam [Par. I. Lib. VII.] P. Camerinius credit *Ugonem* ad fidem, & obedientiam veri Pontificis cito rediisse, quia insequenti anno 1080, iterum excommunicatis aliis Episcopis, de Episcopo Camerinensi nihil fuit dictum. Attamen aliter sentiendum videtur, & *Hugonem* Hentici partem non deseruisse suspicandum valde est, ab nostra inscriptione Sancti-Urbanensi, in qua Clemens Antipapa nominatur, & non Victor III ; quamvis Victor iste sit celebris ille Desiderius Abbas Cassinensis *Ordinis* S. Benedicti ; & propterea, an legitimum Pontificem sit *Ugo* sequutus, *incertum* nobis est.

(2) A tabulario S. Blasii de Fabriano Apostolicas literas Innocentii PP. IV. expositas Perusii anno 1251. magna ex parte igne consumptas accepimus, quas in Appendice damus, & exscripsimus ab exemplo vulgato a CC. VV. Chronistis Camaldulensibus ad annum 1251. in App. T. V. num. XVI. col. 17. e quibus nonnullae Ecclesiae Sancti-Urbanensi Coenobio subjectae apparent. Sacerdotia vero e schedis archivi Prioralis Pyri collegimus, quas pariter habes in eadem Appendice ad annum 1306.

Digitized by Google

[1] ad latus Coenobii ſiti ; item in quarta parte Caſtri de *Fajetis* [2] & tandem in tertia parte Caſtri *Rodoſſue*. [3]

VI. Templum S. Urbani in duas partes diviſum eſt. Superior pars, ad quam per gradus aſcenditur in tres naves partita eſt. Unicam habet aram Divo Urbano ſacram, cujus conſecrationis memoria ſupra relata eſt. Saxea protenditur corona ſuper epiſtylium ſi-

V ni-

[1] Cum poteſtate gladii dominabantur Monachi in toto Caſtello S. Urbani, quod centum ultra domos continebat. Id a publicis Pyrani Archivi tabulis perſpectum habemus. Anno 1224. Vigilius Abbas Communi Pyrano Caſtrum vendidit. Populus Sanct. Urbanenſis a fide defecit; & propterea Caſtrum diuturnas a Pyranis ſuſtinuit incurſiones, ad quas coercendas Sanct. Urbanenſes opem imploratunt ab Aeſinis, cum quibus tum bellicas cum civiles ſuſtinuit contentiones Pyrum. Praetendebant Aeſini ſe jus habere in Caſtro S. Urbani a tempore Attonis Abbatis, cujus memoria extat in ſupra data inſcriptione, ad annum 1251; quo medio tempore Abbates ibi floruerunt, ante *Attonem* omnium antiquior *Giſalbertus* anno 1033, de quo ſupra; deinde *Abraham*, *Armannus*, *Vigilius*, *Ubaldus* & *Benvenutus*. Sub cujus regimine inter Pyranos & Monachos contentiones ſuetunt omnino compoſitae. At de his alibi ſub Epiſcopo Raynaldo. In Appendice Tom. v. Annalium Camald. num. vi. col. 12. Aeſii jura ſuper Caſtrum S. Urbani contra Pyranos producuntur.

[2] Situm erat hoc Caſtrum ad Occaſum Aeſtivum Pyri, ab hoc III. mill. paſſ. circ. diſſitum. A Monaſterio S. Urbani II. mill. paſſ. in extrema parte Vallis S. Urbani inter Sylvas ad ejus Auſtrum; in finibus agri Maſſatienſis. In hoc Caſtro dominabatur Dominus Bonus Comes; Monachi in quarta parte dominationem habebant. Bonus Comes inter nobiles Pyri (ut dicebant) Caſtellanus adſcriptus, & Praetor Caſtri ſelectus anno 1226. Pyrum incolendum venit, ſeſeque, & Caſtrum ſuum Pyrano populo ceſſit; numquam enim a Pyranis vexatos fuiſſe Fajetanos nobis compertum eſt. Remanet Caſtrum hodie omnino diſſipatum; quamvis Caſtrenſium murorum veſtigia non ſint omnino deperdita. Prope hoc Caſtrum S. Franciſcus Aſſiſias, annuentibus Monachis S. Vrbani, parvulum condidit Monaſterium inter Sylvas, quaſi Eremum; ſtatione Sancti Patris, & miraculis ibi a Deo patratis adhuc percelebre, & religioſiſſimum: *Eremum Sancti Vrbani* nuncupatum; de quo S. Bonaventura (de obedient. Creatur. & condeſc. divin.) ſermonem habet, miraculum referens de aqua in vinum converſa. Illud Fratres Min. quos Conventuales vocant ad annum uſque 1651. incoluerunt; quo fuit ob inopiam ab Inn. X. ſuppreſſum, illiuſque bona ad Moniales Sanctae Mariae Magdalenae Pyri ſunt aſſignata.

[3] Caſtrum hoc ſic forte appellatum ab aliqua illuſtri foemina *Rodoſſa* vocata, quae illud condidit, hodie *Rotorſium* in ſupercilio eminentis collis ſitum eſt in Valle S. Clementis a Monaſterio S. Vrbani M. paſſ. diſtans, a Pyro III mill. paſſ. ad illorum Occaſum aeſtivum. Vna cum Monachis Domini Rovelloni [gens erat ea tempeſtate in Valle S. Clementis praepotens, & illuſtris, de quibus alias] Caſtrum Rodoſſae dominabantur. Conradi Gentilis de Rovellono filii ſeculo XIV. Rotorſii jura tenebant. Conradi nepotes, qui multi fuerunt, ob bonorum diviſionem potentia defecerunt. Andreas Gentilis, cui in diviſione contigit Rotorſium ab Egidio Card. Carillio Albornotio, quia Malateſtae gentis Arimini dominatui tenentis Eccleſiae rebellis, adjutor fuit, ſpoliatus Caſtello ſuo, & a Cardinali venditur Colae Smeduti de Scala in San-Severino dominante (de quo infra ad annum 1365.) pretio florenorum 4500. A Scaligeris haereditario jure ad Stellutam gentem apud Fabrianenſes clariſſimam tranſiit, & manet adhuc.

Digitized by Google

nistri lateris hujus arae, in qua rudi quidem scalpro impressus aspicitur transitus Sancti Antonii Abbatis cum imagine S. Pauli Eremitae astantis, & leonis effodientis humum pro Sancti Viri aptanda sepultura. Inferior pars in tres pariter naves divisa, nil dignum visu habet praeter ambonem, qui supra januam, qua ad *Confessionem* descendimus, a superioris Ecclesiae pavimento protenditur. In eo ambone priscis temporibus in festo S. Benedicti intervenientе Magistratu, & populo Pyrano illius panegyricus habebatur, ut a Conciliariis actis collegimus. Confessio satis elegans est. Marmoreis XXII. columnis innixa cum unica tantum ara; & in tres pariter naves divisa. Mensa hujus arae est pariter consecrata; & in mensae fronte legitur inscriptio, ad cujus sensum assequendum diu defaticati sumus; tandem divinando potius sic sumus interpretati: *Anni Domini sunt centum undecim*, (vel melius *Quadraginta*) (supple *mille*) *perdonantia trieesima martii. decem & septem annorum cum decem & septem quarantenis*. Inscriptionis etypon damus. Insequentibus vero seculis viduatum Monachis Coenobium corruit; idque anno factum est 1431, ut patet ex Apostolicis literis Eugenii IV. eo anno expeditis pro unione hujus Coenobii cum illo Vallis-Castri: quae tamen litterae exequutioni mandatae sunt anno 1451. Ea de causa Monachi, & Domnus Johannes Paulus de Palmeriis Abbas, & Nardus Palmerius Canonicus Neapolitanus illius germanus frater anno 1472. videntes *Monasterium*, & *Ecclesiam* (S. Urbani) *in suis structuris, aedificiis ac libris & calicibus, ceterisque ornamentis Ecclesiasticis reparationibus non modicum sumptuosis indigere* indulgentias obtinuerunt a quibusdam Cardinalibus in horum Diplomate in Appendice producto enunciatis a singulis Christifidelibus lucrandis; qui Ecclesiam certis diebus visitarent, & ad reparationem Ecclesiae, & Monasterii manus porrigerent adjutrices.

VII. Regebat interea *Ugo* suam Ecclesiam anno 1094. ex documento dato = *Anni sunt MXCIV. & temporibus Warnerii* [1] *Dux*,

(1) En *Warnerium* Ducem & Marchionem Camerini dominantem, qui anno 1094. sui principatus primum computabat annum. Anno 1070. die 25. Maji, ut vidimus in praeliminari Diss. Cap. I. §. VII. Beatrix Gothifredi uxor, & magnae Comitissae Mathildis mater Marchiam Camerinensem tenebat, & post ipsa Mathildes cum altero Gothefrido gibbo viro suo ad annum 1115, quo princeps haec foemina fatis cessit, illiusque principatus ad Sanctam Sedem ob percelebrem illius donationem sunt devoluti. *Warnerius* igitur inter legitimos Marchiones non est recensendus, & principatum Marchiae Camerinensis tenuisse Warnerius credendus est auctoritate Henrici Imperatoris [apud Murat. in Annal. ad annum 1106. documentum habet] Mathildis & Rom. Pontificis hostis infensissimi. (Murat. Annal. ad annum 1090.) Vix propterea intellexit Henricus Welfonem V, & Mathildem foedere jun-

Digitized by Google



Digitized by Google

Dux , & Marchio ſede anno ejus primo , & factum eſt in menſe Madii pro iudict. II. in Civitate Camerina, quod damus in Appendice, a Lilio productum , continens ceſſionem ab Ugone factam favore illuſtris Coenobii S. Mariani in Valle Fabiana apud San-Severinum.

V 2

ſtos , peritura res ſuas pertimeſcens in Italia , Alpes trajicere , & Italiam bello opprimere potuit , eodemque anno 1090. obſedit Mantuam , & Mathildis principatus coepit vexare. (Murat. Annal. anno 1090.) Forte per ea tempora Marchiam Camerinenſem occupavit Henricus , & anno 1094. Warnerium illi praefecit Marchionem. Anno ſiquidem 1095. ex documento , quod damus noſtri *Ugonis*, Camerinum ſuum agnoſcebat Dominum Henricum Imperatorem. De Warneriis , qui Marchiae Camerinenſis , *Anconitanae* poſtea dictae dominationi ſucceſſerunt , ſeriem doctiſſime proferunt eruditiſſimi Chroniſtae Camaldulenſes [tom. III. Lib. XXVI. num. XXX.]

Ex his , quae ab Annalibus Camaldulenſibus accipimus Lilii hiſtoria in nonnullis eſt ſupplenda , & corrigenda. Et primo quidem poſt duos Gothifredos inter Marchiones Camerinenſes recenſendus eſt *Rainerius* ad annum 1082 , qui fuit ejus principatus primus. Amiciſſimi Chroniſtae documenta dant in Appendice documentorum , illaque enunciant (Tom. III. Lib. XXI. num. XX. pag. 15.) & Rainerii memoriam probant continuatam in aliis chartis ad annos 1084 , 1085 , & 1086. Lilius igitur qui [P. 1. Lib. VII. pag. 211.] affert chartam ſignatam = *Anni ſunt MLXXXVI. temporibus Enrico Imperatore & .... Marchione , & dies .... menſi Februarii* , cujus Marchionis nomen temporum injuria deletum legere nequivit; is eſt *Rainerius* ope chartarum Victorini Coenobii a noſtris Chroniſtis feliciter detectus. „ Robertus Guiſcardus Dux Apuliae (ſolertiſſimi ſcriptores animadvertunt ubi ſupra) his annis Marchiam Firmanam , & Camerinenſem , ac Ducatum „ Spoletanum per vim tenebat ; quare „ anno 1078. Gregorius Papa VII. in „ Synodo excommunicavit *Omnes Normannos , qui invadere terram Sancti „ Petri laborant , videlicet Marchiam „ Firmanam , Ducatum Spoletanum* &c. „ Poſt mortem utriuſque Gothifredi Lotharingi Ducum Thuſiae , & Marchionum , Marchia Firmana ſeu Camerinenſis , & Ducatus Spoletanus ſaepe „ riuntur ex monumentis paruiſſe Henrico Regi , inde per vim invaſa a Roberto mutaſſe dominium. Quae veriſimile eſt Rainerium vel ab Henrico Rege , vel a Roberto Apuliae Duce conſtitutum fuiſſe Marchionem Camerini , & Ducem Spoletanum ; obſcura eſt per haec tempora hiſtoria ejuſdem Marchiae. Inſuper Lilius , quoniam in enunciato *Ugonis* Epiſcopi diplomate habetur anno 1094. Guarnerius Dux , & Marchio , & in altero ad 1095 , *Guarnerii* nomine neglecto , ſolum Henricus nominatur , concicit [pag. 214. Part. 1. L. VII.] *Guarnerium* a dominatione Camerini a Comitiſſa Mathilde deturbatum. Nulla tamen monumenta profert ad id argumentandum. Immo animadvertens idem Lilius [p. 211.] in altero documento anni 1108. Ducem & Marchionem W ſignatum ; aſſerit duplex illud W exprimere *Welfonem* Eſtenſem. Muratorius tamen a noſtris doctis Chroniſtis productus ad annum 1095. exhibet documentum ; [antiq. med. aevi Tom. II. col. 1045.] in quo habetur *Guarnerius* Dux & Marchio , & anno 1106. circ. idem Muratorius (Tom. II. Col. 258.) documentum aliud affert & eſt ſupplex libellus Beraldi Abb. Farfenſis ad Guarnerium Ducem & Marchionem Anconitanum ; ideoque non Welfonis ſed Warnerii duplex illud W exprimit nomen ; & hujus Guarnerii I. principatum ab anno 1094 , qui fuit primus , continuatum habemus ad annum 1119. ex diplomate *Laurentii* Epiſcopi noſtri a Lilio , & Ughellio ignorati ; quicquid ſit , quod in altero documento eodem anno 1119. a Lilio producto [p. 215.] Henricus Rex nominetur , & Guarnerii no-

Digitized by Google

verinum constituti. Et tandem *Ugo* noster anno 1095. Ecclesiam S. Abundii univit majori Ecclesiae Sancti Severini, quae hodie Cathedralis Ecclesia est. De hac unione loquitur P. Gentilius in sua dissertatione num. XVII. In Diplomate hujus unionis notae chronologicae sunt *MVC. regnante Eurico Imperatore indic. IV.*

VIII. Fuisse Antistitem nostrum Damiano amicum, illiusque plures litteras ad *Ugonem* datas Ughellius & Lilius [1] dictitant, nil tamen certi proferunt; quum nullibi in Damiani vulgatis epistolis expressum Ugonis nomen legatur, quod non videntur diluci de exprimere verba illa = *V. Venerabili Episcopo* = ad quem litterae illae scriptae sunt: immo, quum, quo tempore nostram gubernat Ecclesiam *Ugo*, alii etiam Episcopi *Ugonis* nomine alias regerent Ecclesias, eorumque nomen illud V posset signare quales erant *Ugo Callien sis*, & *Vido Vmanatensis*, qui cum Ugone nostro se subscripserunt in Romano Concilio habito 1054. (2) ad quosnam ex iis datae sint ille litterae Chronistae Camaldulenses nesciunt definire. [3] Attamen si quid nobis conjicere fas est, si non omnes, aliquam, saltem ex illis epistolis *Ugoni* nostro datam fuisse non denegarem. Suam forte contulerunt operam Episcopi nostri pro fundatione Eremi Suavicini a Damiano constituti; facili propterea conjectura credendus est Damianus cum Episcopis nostris continuam habuisse familiaritatem. Anno 1059. sub Nicolao II, & anno 1062. duo Romae habita sunt Concilia, quibus cum Damiano interfuit *Ugo* noster. Anno 1060, quum ad Suavicinam Eremum Damianus se contulit, audito Sancti discipuli sui Dominici Loricati obitu, probabili conjectura agere potuit cum *Ugone* Episcopo nostro, & pertractare de Sancti Viri cultu promovendo, simulque forsan con-

nomen reticeatur. Profert etiam Lilius [pag. 118.] aliud documentum ad annum 1135, in quo Lotharii nomen habetur, & non nominatur quis sit *Dux & Marchio*, attamen anno 1134. ex Compagnonio (pag. 70.) *Fridericus* erat Dux & Marchio. Obierat enim ante haec tempora Guarnerius I. Anno vero 1141, & 1142. habentur diplomata Guarnerii II, quae seculo XIII. sub *Alone* III. Episcopo nostro recolimus in notis, & ante Appendicem documentorum differationem proferimus, qua Clarae-Vallis Coenobium de Elstra illustrare contendimus; ibique Lilium & post Lilium Ughellium corrigimus, qui agentes de fundatione illius Monasterii in multos lapsi sunt errores. Tandem Lilius ad ann. 1171. producit aliud diploma altero duplici W notatum, quo pariter *Welfonis* proferre nomen asserit; sed nostri doctissimi Chronistae probant anno 1170. Ducem, & Marchionem fuisse Guarnerium, nullumque monumentum nobis praesto est ad numerandum inter Cametinenses Marchiones, Ducesque Spoletanos Welfonem illum Estensem a Lilio inter Cametinenses Marchiones adscriptum, a Compagnonio vero nullibi nominatum.

(1) Lilius P. I. Lib. VII. pag. 104.

[2] Labb. collect. Concil.

(3) Annal. Tom. II. L. XIV. pag. 142. num. XVIII. & Lib. XVI. pag. 223. & alibi.

Digitized by Google

convenire praeſertim, ut vicini Monachi coercerentur, ne venerabile Domini Corpus ab illis, ut meditabantur, raperetur; qui vicini Monachi alii eſſe non poterant, ut in actis S. Dominici conjecimus [1] quam Valle-Caſtrenſes, Sanct-Urbanenſes, Sancti Clementis, & S. Mariae in Valle-Focina, quorum Aſceteria in Camerinenſi Dioeceſi continebantur. Si ad noſtrum *Ugonem* Opuſculum XL. ſeu Litteram *de fraenada ira*, *& ſimultatibus* ſcripſit Damianus, quod opuſculum ad annum 1061. multis & quidem validis rationibus laudati ſcriptores Camaldulenſes (2) ſcriptum argumentantur, & concludunt *Manifeſtum evit Epiſtolam hujuſmodi pertinere ad hunc circiter annum* (1061.) = Non exigua laus datur a Damiano Ugoni noſtro, hunc appellante *Eccleſiae Doctorem*; poſtquam enim *de fraenanda ira*, *& ſimultatibus* Damianus ſua in littera luculenter diſſeruit, quaſi excuſationem ab Ugone petens de iis, quae ſcripſerat, concludit = *Haec tibi Venerabilis Pater imperitè dictavi, non ut te doceam, qui es, auctore Deo, Doctor Eccleſiae, ſed ut turbulentis, mihique ſimilibus poſſem ſub allocutionis tuae occaſione prodeſſe. Non vereor, quo ſancta prudentia tua moleſtè ferat, ſi quid ſibi junior quiſque ſuggerere cum humilitate praeſumat* =

IX. His poſtremis verbis Damianus certiores nos reddit ſe *Ugone* juniorem eſſe; quod utique nobis argumentum exhibet ad inveſtigandum, quanam eſſet aetate conſtitutus Damianus anno circ. 1061, quo illud opuſculum ſcripſit. Attamen rem cito aſſequemur: & ſi Damiani natalem diem, ut plerorumque ſententia eſt, anno v. poſt Ottonis III. obitum conſignemus, ab anno 1007. ad annum 1061. quinquaginta quatuor anni intercedunt, ideoque Damianum anno 1061. conſtitutum eſſe compraehendemus aetate circ. annorum LIV. Haec autem ſententia quomodo concordare poterit cum iis, quae Cluniacenſis Coenobii Abbati ſcripſit Damianus anno 1063, ut nos in actis S. Dominici Loricati ſcripſimus; (3) vel anno 1062, ut probant doctiſſimi Chroniſtae Camaldulenſes: [4] in qua Epiſtola haec habentur = *Non excidit ſanctae prudentiae tuae Venerabilis Pater, quia cum jam me ſenectus incurva deprimeret, & effaeto viribus corpore nutabunda gradientis veſtigia ſub incertis greſſibus vacillaret* = ? Quomodo ea quae in altera Epiſtola ab eodem Damiano ad ipſum Abbatem, & Monachos Cluniacenſes eodem an-

(1) Vit. di S. Dom. Lor. Cap. XXI. pag. 142.

[2] Annal. Camaldul. Tom. II. Lib. XVII. num. 10. pag. 142., e 143.

(3) Diſcorſ. Cronol. ann. MLXIII.

[4] Annal. Camal. Tom. II. Lib. XVII. num. X. pag. 152.

Digitized by Google

anno 1062, ad ſenſum laudatorum Chroniſtarum, [1] ſcripta concordabunt, in qua Epiſtola legitur = *Noſtis praeterea dilectiſſimi pro tuenda ſalute veſtra quatenus me labor attriverit, quod in ultima ſenectute mea &c.* Si duae illae litterae ſcriptae ſunt anno 1062. Damianus annos aetatis computaſſet LV; & hac aetate Damianum *incurva ſenectus, ultima ſenectus opprimebat?* Has difficultates accreſcit littera ad Damianum fratrem ante annum 1062. (2) data, in qua ſic legitur = *Nam dum tam longaevos annos enumero, omnes penè infra meam aetatem eſſe conſidero* =, Damianus enim non attigiſſet annum LIV. Neque vero referenda ſunt verba Damiani ad exprimendam ſui corporis debilitatem aſſiduis vigiliis, corporis cruciatibus, laboribuſque contractam: Sanctus ſiquidem Scriptor aperte loquitur de longaeva aetate ſua per illa verba: *Senectus incurva: ultima ſenectute: longaevos annos*; &, quod omnes interpretationes tollit, illud potiſſimum eſt, quod fratri ſuo Damiano ſcribit ſe tam *longaevos annos* numerare, ut *pene omnes ſupra ſuam aetatem* fuiſſe rependat. Quid? Damianus aetate LIV. annorum ſenior omnium erat? nullus, aut pene nullus ſuam aetatem praecedebat? Tam brevis ergo per illa tempora vita hominum erat, ut nullus ad LIV. annum perveniſſet? Quid ergo dicendum? Damianus Vir Sanctus ingenuus non fictus, verax non mendax *in ſenectute incurva, in ultima ſenectute* conſtitutus *longaevos* annos computabat; ſi natalem ejus diem non poſt V. annos ab Ottonis III. obitu, ſed ab obitu Ottonis II, anno nempe 988. figamus; quemadmodum nonnulli ſuſpicati ſunt, ut ſcribit Laderchius, [3] & ſuſpicatur Henſchenius [4] & tunc Damianus non LIV, ſed LXX. & ultra ſuae aetatis annos computaſſet, veri eſſent ſenſus Sancti Scriptoris; & *Ergo* Epiſcopus Senior Damiano, & forſan octogenarius eſſet ſuſpicandus. Haec fuſius ad examen revoco ad primam obſervationem in prologo actorum S. Romualdi a Damiano ſcriptorum. *Has* meas animadverſiones profero non ad evellendas aliorum opiniones; ſed ad argumenta producenda forſan aliquando ad hanc veritatem aſſequendam probabiliter opportuna.

(1) Vbi ſup. pag. 256.
(2) Lib. v. ep. 11. Annal. Camal. Tom. II. Lib. xv. n. xx. pag. 181.
(3) Laderch. Vit. S. Petri Dam. Lib. I. Cap. I. n. v. pag. 7.
(4) Act. SS. Tom. III. die 23.

LIBER TERTIUS

EPISCOPOS AMPLECTITUR XII. SECULI

CAPUT I.

De S. Venantio Albacinensi.

I. S. Venantius, cujus corpus repertum fuit Albacinae labente XII. *seculo, ignoratur quis sit.*

II. Exhibetur inscriptio, quae coaeva fuit inventioni Sancti Corporis. Traditio apud Albacinenses est hunc S. Venantium fuisse Episcopum Lunensem, ex altera inscriptione, quae desipicitur.

III. Haec inscriptio ad examen vocatur. Ughellii opinio de Venantio Lunensi. Ferrarius nil habet in cathalogo SS. Italiae de hoc Venantio.

IV. Despicitur traditio Albacinensium. Et Ughellius nil certi profert quod Lunensis Episcopi Venantii probet sanctitatem.

V. Venantium Lunensem Episcopum recolit S. Gregorius Magnus. Sanctus, *&* Sanctissimi *titulus antiquis Episcopis datus non sufficit ad probandam illorum sanctitatem antiquis temporibus.*

VI. Debet probari cultus ab immemorabili illis praestitus; qui non probatur datus Venantio Lunensi.

I. Xtremis XI. seculi djebus 26. nempe die Decembris anni 1100. in Camerinensi Cathedra sedente forsan *Ugone* apud Albacinam Castrum in agro Fabrianensi fuit repertum Corpus *S. Venantii*, quem volunt Episcopum, & Confessorem, cui memoria quotannis inibi solemnis recolitur die 7. Junii in Parochiali Ecclesia illius Castri, ubi hujus S. venerantur exuviae. Quis vero sit *Venantius* iste Episcopus & Confessor nobis hic perquirere opportunum est. Quamvis enim immemorabilis sit cultus ab Albacinensibus illi exhibitus; attamen de illo omnes Ecclesiasticae historiae, omnia Martyrologia prorsus reticent. Martyrologium Romanum a Ven. Cardinali Baronio notis vulgatum de uno tantum *Venantio* meminit Episcopo, & Martyre: cuinam tamen praefuerit Ecclesiae incertum exhibitus est. Ejus vero Corpus requiescit in Ecclesia Lateranensi in Oratorio, quod dicitur *S. Venantii* apud Baptisterium Constantini teste eodem Baronio.

nio. (1) Alterum *Venantium* claruiſſe in Africa titulo Confeſſoris illuſtrem, qui Carthaginenſi interfuit Concilio ſeculo III. habito ſub Cypriano, ut conſtat ex illius Synodi actis, ſcribit ipſe Baronius. [2] Ubi vero Sanctus iſte obierit plane ignoratur.

II. Inſcriptio illa, quae Albacinae legitur ſub imagine S. Venantii in Ara ejus nomini ſacra haec eſt exactiſſimè exſcripta.

Ω

VT RESONAT. PSALMNS. IACET. HIC. VENANTIVS. ALMVS.
CORPVS. NAM. SANCTVM. SATIS. EST. HIC. GLORIFICATVM.
IN. STEPHANI. FESTO. FVIT. INVENTVM BENE. PRESTO.
ANNO. MILLENO. ET. CENTENO. SIBI. PLENO.
IPSE. CVM. PRIMO. CORPVS. SERVATVR. IN. HVMO. (3)
AD. CHRISTI. VELLE. FVIT. INVENTVMQVE. NOVELLE.
NAM. MANIFESTVM. (4) VENANTIVS IPSE. VOCATVR.
EST. ALBACINE. DATA. SACRA. SPESQ. MEDICINE.

Et haec inſcriptio, quae revera coaeva cenſenda eſt *S. Venantii* Corporis inventioni, non exprimit noſtri *Venantii* characterem. Illum vero Epiſcopum fuiſſe, & Epiſcopum Lunenſem in Liguria, opinio eſt; & apud Albacinenſes traditio viget, Epiſcopum iſtum per illas partes tranſeuntem apud ipſos aegrotaſſe, & extremum ibi con-

(1) In not. ad Martyrolog. die prima Aprii.

[2] In not. ad Martyrolog. ubi ſup.

[3] Ut leonini verſus ſervetur lex non *bumo*, ſed *bymo*, legendum hic videtur: conſonat enim cum *primo*. Sic *Ipſe cum primo corpus ſervatur in bymo*. Ptiſcis utique temporibus grecos imitantes latini Y in V perſaepe immutaſſe novimus in antiquis inſcriptionibus, in quibus habetur *Crupta* pro *Crypta*, *Suſtus* pro *Syſtus*, *Saturus* pro *Satyrus* &c. facilius enim, magiſque expedite V formatus quam Y. Ideoque, quamvis in antiquis illis inſcriptionibus habentur V pro Y, attamen verborum pronunciatio retinenda eſt ac ſi eum Y nomina illa eſſent ſcripta. Hoc autem non ſolum antiquis temporibus ſed medio etiam aevo factum eſſe exempla probant. Lege doctiſſimas P. Anſelmi Coſtadoni obſervationes *intorno alla Chieſa Cathedrale di Torcello*, e *ad alcune ſacre ſue antichità* num. 13. relatas inter Opuſcula Calogeriana.

(4) Doctiſſimi Camaldulenſes Chroniſtae [Tom. III. Lib. XXIII. n. XXVI. pag. 93.] datam proferunt inſcriptionem, & corrigunt verbum illud *Manifeſtum* voluntque lectum *Manifeſtatur* pro ratione leonini verſus & pro integritate.

Digitized by Google

confeciſſe diem. Datam inſcriptionem gothicis, ut dicunt, caracteribus fuiſſe exaratam aſſerunt doctiſſimi Camaldulenſes Chronographi, qui litterarum reliquias viderunt, nunc omnino ob muri humiditatem deperditas. Unde factum eſt, ut antiquiſſima *S. Venantii* imago defecerit, & propterea ſuperinducta antiquae picturae calce, anno 1649. nova imago fuerit picta, & ſub illa in latere dextero (exſcripta in ſiniſtro antiquiſſima inſcriptione ſuperius data) picta fuerit altera inſcriptio, cujus tenor eſt =

Ω
VENANTIVS. EPVS. LVNENSIS. FVIT.
TEMPORE. GREGORII. PAPÆ. ANNO. DO
MINI. 500. DE. QVO. IDEM. GREGORIVS
IN. TERTIO. DIALOGOR. LIBRO. SCRIBIT.
TACENDVM. NON. EST. QVOD. VENERABI
Ω
LIS. VENANTIVS. EPVS LVNENSIS. RE
Ω
TVLIT. DE. ERIDARIO. EPO. LVNENSI. (1)
QVI. SVA. ORATIONE. ALVEVM. ANSERIS
FLVVII. MVTAVIT. IDEM. VENANTIVS.
Ω Ω
EPVS. RETVLIT. SAVINVM. EPVM. PLA
CENTINVM. PADO. TERRAS. COLLÆSIO
INVNDANTI. IN. SCRIPTIS. MANDASSE.
VT. IN. ALVEVM. REDIRET. ET AD PRO-
PRIVM. ALVEVM. REDIISSE.

Fuit reſtauratum anno Dñi 1649. die
XVIII. menſis Maji.

Imperitus ſcriptor vel traditionem illarum gentium, *Venantium* noſtrum fuiſſe alienigenam ſecutus eſt, vel forte auctor ipſe fuit traditionis, Venantium Albacinenſem fuiſſe Epiſcopum Lunenſem. Tandem haec altera pictura murorum pariter humiditate pene obſcurata fuit. Oportuit itaque ut imago illa iterum reſtauraretur anno

X

(1) *Iridarius* nomine neque ante, neque poſt tempora Gregorii Magni fuit Lunenſis Epiſcopus. Legendum itaque eſt *Frigdianus* Lucenſis Epiſcopus, cui prodigioſum factum Auſeris, ſeu Serchi fluvii in eadem Lucana Dioeceſi alvei mutati tribuit Cap. III. Dialogorum libri idem Gregorius. Sic laudati Chroniſtae [eodem libro, & pagina.]

Digitized by Google

no 1715 non in muro, ſed in tela cum Epiſcopalibus ornamentis, nempe cum mitra, baculo paſtorali, & pluviali, quae in altera apparent adhuc; an in antiquiſſima, non liquet.

III. Novam hanc inſcriptionem ad examen vocemus. Ughellius in ſua Hiſtoria, ſeu Italia ſacra inter Epiſcopos Lunenſes recenſet *S. Venantium* num. VI, cujus, ut ipſe ſcribit, meminit Sanctus Gregorius Magnus in Epiſtola XXII. lib. II. ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum; illique laudatus ſcriptor *Sancti* nomen ultro concedit. Monet tamen nonnullos eſſe, qui credunt *Venantium* iſtum non *Lunenſem*, ſed *Laudenſem* Epiſcopum fuiſſe; ut ab ipſo etiam Ughellio incerta adhuc hujus *Venantii* ſedes habeatur. Addit etiam *Venantii Lunenſis* mentionem fieri apud Ferrarium ad diem 13. Octobris, ſcribentem Abbatem fuiſſe, & apud Sarzanam vixiſſe, cui civitati poſt Lunae vaſtitatem translata fuit Lunenſis Eccleſia ab Innocentio III. anno MCCIV. Quum vero Ferrarium in ſuo catalogo SS. Italicorum perlegerim, apud ipſum acta S. Venantii non inveni, ſed acta S. Venerii Abbatis, omnino a *Venantio* noſtro diverſi, quique nullam praefert Epiſcopalis dignitatis notam.

IV. Si ergo in Eccleſiaſticis faſtis *Venantius* noſter haberetur Epiſcopus Lunenſis; & inter Sanctos adſcriptus; ſi de illius in Cathedra Lunenſi Sede nullus dubitaret poſſemus forſan Albacinenſium credulae opinioni fidem dare: quum vero Lunenſi *Venantio* nullus *Sancti* nomen attribuat praeter Ughellium, nullo producto illius Eccleſiae, ſeu alterius documento: quum de eo omnes Eccleſiaſticae hiſtoriae, omnia Martyrologia ſileant; quum de illius ſede in Cathedra Lunenſi nonnulli dubitent; putentque illum Epiſcopum potius Laudenſem, quam Lunenſem, apocripha Inſcriptio illa exiſtimanda eſt, & pro nihilo habenda, pro nihilo etiam habenda traditio populi Albacinenſis, & *Venantius* Albacinenſis alius fuiſſe credendus eſt ac hactenus fuerit habitus.

V. Mentionem perſaepe faciat S. Gregorius de *Venantio* Epiſcopo Lunenſi; erit ne propterea inter Sanctos recenſendus? Papebrochii judicium, & quidem rectum, illud eſt quod affert in Exegeſi de Epiſcopis Mediolanenſibus. Illudque nos produximus agentes de ſanctitate Leontii Lib. I. Cap. I. num. VI. [1] Quo docemur primorum ſeculorum Epiſcopos, dum adhuc in vivis erant, *Sanctos*, & *Sanctiſſimos* vocatos fuiſſe, talique honoris titulo illorum nomina adſcripta erant in ſacris diptychis, in illis nempe catalogis, in quibus vita functorum nomina alta voce in ſacra Liturgia per ea tempora recitabantur, ubi hodieque fit de ipſis praecipua

[1] Diſſert. Bolland. P. I. §. I. pag. 195.

Digitized by Google

pua, ſed ſecreta, & mentalis recitatio. Hinc factum eſt, juxta laudatiſſimum Scriptorem, ut omnes fere Epiſcopi primorum ſeculorum cenſerentur in Sanctorum catalogo recenſiti, etiam poſtquam voces illae *Sanctus* & *Sanctiſſimus* ab Eccleſiae uſu fuerunt reſtrictae, & ſolummodo datae iis, qui propter notiſſimam ſanctitatem, & miracula inſignia, & martyrii lauream a fidelibus habiti ſunt Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, & *Sancti* propterea nuncupati.

VI. Hoc expenſo Papebrochii judicio poſſemus nos *Venantio* Lunenſi *Sancti* titulum facile tribuere, ſi probaretur immemorabilis cultus a ſua Eccleſia illi praeſtitus; quo probato, *Venantio Sancti* titulus honor non eſſet denegandus. Quomodo vero *Venantius* Lunenſis Sanctorum numero eſt recenſendus, quum eum omnes Eccleſiaſtici Scriptores ſilentio praetereant, & de cultu apud Eccleſiam Lunenſem illi praeſtito nulla nobis documenta ſuperſint? Quoniam modo de illius cultu apud Lunenſes ſolus Ughellius certior eſt factus; Baronius vero id omnino ignoravit, ut de ipſo ne nomen quidem in ſua Eccleſiaſtica Hiſtoria proferat? eo magis quia non apud Lunenſes in Liguria, ſed apud Albacinam in Piceno *Venantius* iſte extremum clauſit diem. Si Epiſcopos ſuos ſpeciali quodam cultu venerati ſunt populi, & Dioeceſes, id utique alia de cauſa evenire non potuit, niſi quia illorum pietatem, charitatem, catholicae fidei ſtudium, & impenſos pro illorum ſpirituali cura labores (forte etiam quia miraculis vitam illorum, obitumque illuſtraverit Deus) intellexerant. Albacinenſes vero populi quonam modo uti *Sanctum* venerari potuerunt *Venantium* Lunenſem per illa loca tranſeuntem, cujus ſanctitas erat ipſis omnino ignota, ſicut ignotus erat illis Epiſcopus tranſiens? Quid noſtrae memoriae proditum eſt de cultu ab Eccleſia Lunenſi illi praeſtito? Quid de ſtudio Lunenſis Eccleſiae pro Epiſcopi ſui Lipſanis recuperandis? Fieri non poteſt, ut hujus Epiſcopi florentis in Lunenſi Eccleſia ſint acta omnino deperdita, teſtimonia de illius ſanctitate perierint, nullaque argumenta reperta ſint ad illius cultum firmandum, eo magis quia non tam cito Lunenſis Eccleſia defecerit? (1) His ego

[1] Jura Cathedralis Eccleſiae Lunenſis Sarzanam tranſtulit ad Eccleſiam S. Andreae Inn. III. anno 1204. VII. Kal. Aprilis anno illius VII. ex Regeſt. Vat. epiſt. 24. fol. 116, ut ſcribit Stadel. Comp. Geograph. cap. III. lib. I. §. 34. Anno tamen 1253. Lunenſe Capitulum florebat adhuc, quia pro Inn. IV. ditioni Picenae praeſidebat Archidiaconus *Lunenſis*, & documentum dat Compagnonus in ſua Regia Picena P. I. Lib. III. pag. 118. Vide etiam cap. IV. num. XII. hujus operis, ubi habes a Gregorio XI. die 31. Auguſti anni 1374. ſelectum fuiſſe adminiſtratorem Adrienſis, & Pinnenſis Eccleſiarum Bernabeum Epiſcopum *Lunenſem*, & Comitem-

rationibus ductus *Venantium* uti *Sanctum* Albacinae cultum diversum omnino concio ab illo, quem Ughellius exhibet in serie Episcoporum Lunensium. Quis igitur erit *Venantius* noster? Ad novas conjecturas veniamus, & nonnulla praemoneamus.

CAPUT II.

Forte fuit Episcopus Tufficanus vel etiam non Episcopus, sed Martyr.

VII. Tufficum R. Colonia situm erat ad radices collis ubi jacet Castrum Albacina. Quando Tufficum fuerit vastatum, non liquet. Forte habuit Episcopos suos. Ex iis unus forsan Venantius.

VIII. Ante vastitatem forte Albacinam translatum, & absconditum Corpus S. Venantii.

IX. Si Tufficum fuit eversum, quando Matbilica, circa medium x. seculum translatio S. Venantii est forsan referenda.

X. S. Venantius Albacinensis forsan etiam fuit non Episcopus, sed Martyr una cum Primo *repertus auctoritate antiquissimae inscriptionis jam supra productae.*

VII. CErta res est Albacinae Castrum situm esse pene ad radices illius montis, in cujus planitie jacebat Tufficum antiqua Romanorum Colonia. [1] Civitas haec, quando vastata fuerit, incertum adhuc est. Forte fuit eversa barbaricis sive Gothorum, sive Langobardorum incursionibus. Ante suam vastitatem Tufficum forsan habuit Episcopos suos, sicut aliae Romanae Coloniae. Quis ergo vetat, quin praesumamus *Venantium* Albacinae quiescentem unum fuisse ex Episcopis Tufficanis, *sicut* Septempedanus fuit *Severinus*, Auximanus *Leopardus*, *Exuperantius* Cingulanus, qui omnes floruerunt post medium IV. seculum, quo certa Sedes Episcopis assignatur, ut in praeliminari Dissertatione firmavimus? Et haec est una conjectura de *Venantio* Albacinensi, quam profert etiam cl. Abb. Sartius in suis Episcopis Eugubinis. (2)

VIII. Si Albacinae Castrum e Tuffici ruinis ortum habuit, ipsimet Tufficani una cum Corpore *S. Venantii* in illud *Castrum*, forsan cultum invexisse credendi sunt. Si autem Albacina cum Tufficо

(1) Vide quid de hac Colonia dictum sit in Diss. praelim. cap. IV. §. III. n. 5.

(2) Sartius Diss. prael. de Civit. & Eccl. Eug. cap. VI. n. IV. pag. LXXXIV.

Digitized by Google

fico vigebat, ut nonnulli putant, potiori ratione Albacinenſes illum venerati fuiſſent velut Epiſcopum, & Paſtorem ſuum, cujus ſanctitas illis perſpecta eſſe poterat, & debebat. Si quis vero opinetur *S. Venantii* exuvias Albacinam translatas ab ipſis Tufficanis Gothica, ſeu Langobardica imminente incurſione ſuae Civitatis ruinam, & excidium pertimeſcentibus, & Albacinae abſconditum contra illorum temporum Eccleſiae diſciplinam, [1] quam forte Tufficani negligere voluerunt ad reliquias Sancti Paſtoris ſui tuendas, non male, meo quidem judicio excogitaret. Quot enim Sanctorum Corpora ea ratione occultata, & alio translata leguntur a fidelibus: ut, vaſtatis exinde Civitatibus populiſque bello, fame, & peſtifera lue diſperſis, e viviſque ſublatis, locus ubi Sanctorum exuviae erant abſconditae poſteris ignotus remanſerit? Id evenit Corpori *S. Severini*, quod diu latuit, & poſtea fuit fortuito inventum. Idipſum repetendum eſt de Corpore *S. Philomenae* Septempedanae caſu in templo S. Laurentii in Doliolo repertum, ut exempla producam ab hoc opere meo.

IX. Potuit etiam alio tempore Tufficum ruinam forte perferre. In ſua regia Picena ſcribit Compagnonius [2] Berengarium II. incendio vaſtaſſe Matilicam, aliaſque plures Civitates anno 946. Luitprandi coëvi ſcriptoris auctoritas Compagnonii fidem tuetur. Non omnes igitur Civitates, & Coloniae in Piceno conſtitutae vel a Gothicis, vel a Langobardis dirutae credendae ſunt. Illas tamen vaſtatas forte fuiſſe poſſumus ſuſpicari, quae in viis conſularibus ſitae erant, a quibus abeſt Matilica. Si enim Matilica una ex R. Coloniis barbararum gentium effugit iram, opinari utique poſſumus, gentes illas barbaras in eas tantum irruiſſe Civitates, quas in viis conſularibus reperiebant; nec aliunde ad depopulandas, evertendaſque Civitates divertiſſe. Ideoque hac ipſa ratione Tufficum, Attidium.

(1) Ante S. Leonis II. tempora Sanctorum Corpora tangi & alio transferri nequibant: luculenter id probat amiciſſimus Raphaellius in actis S. Exuperantii Lib. II. Cap. VII. §. 1. pag. 119. Amiciſſimus tamen Coſtadonius in ſua erudita ms. diſſertatione = *Oſſervazioni intorno alla Chieſa Cattedrale di Torcello &c.* inſcripta ad num. 2. luculenter probat ante etiam ejuſdem S. Leonis tempora alio fuiſſe aſportata & abſcondita auctoritate Dandoli [Lib. VI. Cap. VII. Part. XI.] ſcribentis regem Rotarium armorum vi potitum fuiſſe Civitate Odertia. Qua re cognita, Paulus Epiſcopus Altinas pertimeſcens eadem ruina ſuam Civitatem vaſtari, ab illa citiſſimè abiit, ſecumque tulit ſacras reliquias, & una cum pleriſque ex Altinatibus ad paludes tranſiit Torcelli, ubi ſuam ſtationem fixit, novamque Civitatem cum Cathedrali Eccleſia fundavit anno 641. ut ſcribit Muratorius (Annal. d'Ital. Tom. IV. anno 641.) antequam mos in Eccleſia Dei eſſet inductus alio ſacras Sanctorum reliquias transferendi, qui mos ſub S. Leone II. anno 683. fuit introductus.

(2) Pag. 22.

Digitized by Google

dium, & Sentinum, quae a viis Consularibus aberant, credenda forte sunt desolata, quando ruinam sustinuit suam, fuitque eversa Matilica. Alias, quomodo potuisset Matilica hostiles effugisse irruptiones, quas non effugerunt alia illarum partium oppida; ut propterea a barbaris illa, una excepta Matilica, eversa adseveremus? Assignari propterea forsan potest aera vastitatum Tuffici, Attidii, & Sentini illo ipso tempore, quo fuit desolata Matilica. Et si haec opinio admittatur, Tufficum a gente non barbara, & etherodoxa fuit eversum, sed opera, & studio Berengarii II. Principis Catholici anno 946; ideoque translationem Corporis *S. Venantii* praesulis Tusficani, si per haec tempora factam intendamus, non furtivam fuisse, sed publica celebritate, solemnique pompa a diruta illa Civitate ad proximum Albacinae Castrum, celebratam: quare cultus sancto illi Episcopo putandus non est apud illas gentes imminutus, immo potius adauctus; & tunc ad honorem Dei, & memoriam beatissimi *Venantii* templum ibi conditum, Sacerdotium constitutum, & Albacinae Castri, populique Patronum *Venantium* proclamatum postumus argumentari.

X. Quid vero, si *Venantium* nostrum Episcopali charactere spoliatum velimus, & martyrem potius suspicemur, cujus exuviae repertae sint anno 1100. una cum Corpore *Primi* pariter Martyris forte in quinto versu inscriptionis nominati sic = *Ipse cum Primo Corpus servatur in hymo* =? Conjectura haec non est mea, sed doctissimi antistitis Pompeji Compagnonii toties a me celebrati, ut ad me suis datis litteris scripsit. [1] In illa utique inscriptione, si bene advertatur, *Venantius* noster nullam praefert Episcopalis dignitatis notam. Antiquissima pictura labente forsan XIII, vel sub initio XIV. facta obliterata omnino est. Altera pictura anno 1649. fuit efformata, quando sciolus ille somniavit S. *Venantium* Episcopum fuisse Lunensem, & propterea in hac pictura nondum obliterata fecit Venantium pingere Episcopalibus insignibus *ornatum*, ut quod sciolus ille opinatus est, magis credibile redderet. Nemo ergo non videt, quam dubius adhuc sit *Venantii* Albacinensis character.

CA-

(1) Maggior esame parmi, che si debba fare nella loro intelligenza ed esposizione. In primo luogo non vedo qui essermai accennato, che questo Venanzio fosse stato Vescovo: perche dunque non potrà credersi un Martire, il cui sacro Corpo sia stato in que' tempi rinvenuto insieme con un altro di nome *Primo* forse nominato nel quinto verso &c. Ottmo 30. Maggio 1755.

CAPUT III.

Forte fuit Episcopus Africanus.

XI. *Noster* Venantius *potest etiam conjici unus ex Episcopis Africanis in exilium pulsus sub Unerico Rege; quique obviam processit S. Exuperantio Episcopo Cingulano, cum appulit ad littus Humanae.*

XII. *Hanc conjecturam illustramus.*

XIII. *Et possumus etiam conjicere* Severinum *illum qui cum Venantio aliisque occurrit S. Exuperantio Romam eunti fuisse* Severinum *Septempedanum Eremitam nondum ad Septempedae Sacerdotium assumptum.*

XI. QUum vero non nisi conjiciendo de nostro *Venantio* differe possimus, liceat conjecturis, conjecturas cumulare. Quid si suspicemur *Venantium* Albacinae quiescentem unum ex illis Episcopis esse ab Africa pulsis in immani illa persecutione contra ipsos excitata a Vandalis sub Unerico Rege, & in Italiam progressis: (1) summa animi voluptate acta beatissimi Exuperantii Episcopi Cingulani amicissimus Raphaellius, qui illa luculentissime, & doctissime illustravit mecum ipse communicabat. Quumque in illis Actis legeremus *Exuperantium* ad littus Humanae appulisse Romam progressurum; & *in via undecim invenisse fratres Florentium, Severinum, Venantium, & alios, qui videntes eum* (Exuperantium) *susceperunt cum magno gaudio, & genuflexo miserunt se ad pedes Sancti Exuperantii, & obsculati sunt inter se, &c. & dans pacem eis dimisit illos* = En inter illos fratres, qui obviam processerunt Exuperantio, unus nomine *Venantius*. Tunc Raphaellius, qui paulo ante, quae de nostro Venantio scripseram, perlegerat: Cur non possumus, inquit, *Venantium* Albacinensem suspicari fuisse illum *Venantium*, seu *Benantium* Episcopum Oppidonebensem in Mauritania Caesareensi, qui anno 484. Carthaginensi irrito Conventui interfuit, & ab Unerico Rege in exilium pulsus est cum altero e tribus Episcopis *Florentii* nomine, altero Episcopo Seminensi in Provincia proconsulari, altero Nobar Germanicensi, & tertio Centenariensi in Numidia? Haec obiter Raphaellius.

XII. Et revera, re intimè perpensa, quamvis clarissimus Actorum

[1] Ruinart. persecut. Vand. P. II. Cap. IX. pag. 523. & 546.

Digitized by Google

rum Illustrator non audeat asserere (ut ejus sententiam proferam) inter Africanos Monachos, qui tot praestarunt obsequia S. Exuperantio in via, qua Humana Romam progreditur, fuisse unum, aut alterum ex illis Episcopis ab Africa pulsis; perpendentes nos ab Ancona ad Prolaqueum tractum unum viae Flaminiae [1] esse apertum, qua Romam imus, possumus etiam non audacter argumentari *Venantium* illum Episcopum Africanum obviam stetisse Exuperantio juxta Septempedam, ibique Exuperantium excepisse omnibus obsequiis Exuperantii sanctitati debitis. Facillime enim *Venantius* perspectam habere poterat venerabilis Viri sanctam vitam, propagandae Fidei studium, & praedicationis zelum, queis forsan suam Exuperantius in Africa impendit operam pro grege *Venantio* commendato. Vide, qua ratione ducti possimus argumentari *Venantium* illum in Actis S. Exuperantii nominatum illum esse, qui deinde, relicto Exuperantio, e Septempedae viciniis iter arripuit per proximam vallem Matilicanam Albacinam versus, in quo Castro forte aegrotavit, & suos confecit dies.

XIII. Quid vero, si conjecturas prosequentes aliquid etiam argumentemur de *Severino* illo in laudatis S. Exuperantii actis commemorato; illumque conjiciamus fuisse *Severinum Septempedanum*, tunc prope Septempedam solitariam vitam in suo Monasterio ducentem? Accipite. Diligentissimus Raphaellius profitetur se omne studium impendisse ad assequendam notitiam illius *Severini*, cujus acta cum *Venantio*, & *Florentio* meminerunt, & certiores nos reddit nullum *Severinum* recoli in historia Africanae Ecclesiae seculi v, quo florebat *Severinus* Septempedanus; qui postquam diu solitariam vitam duxit in Monasterio suo non longe a Septempeda, ut alias dictum est [2] fuit ad Episcopatum Septempedanum assumptus, & tandem anno 543. inter mortales esse desiit ad Coelum evocatus. Nil ergo vetat, quin conjiciamus *Severinum* in actis S. Exuperantii memoratum fuisse Episcopum Septempedanum; & *socios illos*, qui cum *Florentio*, *Venantio*, & *Severino* S. Exuperantio obviam processerunt, ex discipulis fuisse *Severini* in Monasterio ab ipso constructo commorantibus. *Severini* sanctitas per illas partes erat celebris, & nota. Ad hunc invisendum adire potuerunt *Venantius* Flo-

[1] Itér quo ab Humanate littore Romam progreditur est rectum planum, & omnibus notum. *Humana* enim *Auximum* imus, *Auximo Trejam*. *Treja Septempedam*, & tandem *Septempeda* progrediendo viam Flaminiam ingredimur. Via haec a Bergetio describitur (de publ. & milit. Imper. Rom. viis apud Grevium Tom. x. col. 376.) & habetur in Antonini itinerario apud Suritam, Merulam, & Cluerium &c.

[2] Lib. I. Cap. III. num. VI.

Florentius, aliique ; & omnes *Exuperantium* Romam euntem, ut illius habent Acta, humaniſſime, & cum omni honore excipere ; Forſan etiam in ſuo Monaſterio a Severino hoſpitio recipi. Conjecturae, queis uſque adhuc proluſimus, rationabiles ſunt, nil arduum, nil hiſtoriae illorum temporum habent alienum. Ideoque *Venantium* Albacinae quieſcentem, probabiliter poſſumus ſuſpicari fuiſſe *Venantium*, ſeu *Benantiam* Epiſcopum Africanum in Italiam appulſum, quem inter Sanctos adſcribere non dubitamus ; quia in odium orthodoxae Fidei in exilium ejectus eſt, & perſecutiones ſuſtinuit immanes ; & ab Albacinenſibus, & aliis finitimis populis immemorabili cultu honoratus.

CAPUT IV.

Venantii cultus apud Fabrianenſes propagatus.

XIV. Cultus Sancti Venantii forſan in oppido Fabriani propagatus. Tufficum & Attidium origo, vel amplificatio Fabriani.

XV. Attidiates Fabrianum invexerunt cultum S. Jo: Baptiſtae titularem Eccleſiae Attidiatis.

XVI. Tufficani cultum S. Venantii introduxerunt Fabrianum.

XVII. Haec conjectura roboratur.

XVIII. Cultus S. Venantii Tufficani permixtus forſan cum S. Venantii M. Camerinenſis cultu.

XIX. Conjectura haec ab everſione Attidii, Tuffici, & Mathilicae firmatur.

XX. Facilius cum S. Venantio Martyre Camerinenſi poterat confundi cultus, ſi Venantius Tufficanus fuiſſet martyr, non Epiſcopus.

XXI. Confuſiones cultuum SS. in eccleſia Dei rarae non ſunt, ſed frequentes.

XIV. AT non hic immoror ego : &, quoniam de cultu *Venantii* Albacinenſis occurrit ſermo, meis conjecturis innixus, ulterius progredi contendo ; exiſtimando illius cultum non intra Albacinae ſolum moenia reſtrictum, ſed aliò etiam forte propagatum, & a Tufficanis Fabrianum invectum. Ratio cogitandi hac ſuper re nova, ſed non deſpicienda. Si enim, ut diximus, ſingulae R. Coloniae ſuos habuerunt Epiſcopos, ſi Tufficum, & Attidium habuerunt ſuos uſque ad illarum vaſtitatem, vel

VII. circa ſeculum, vel medium circa X, queis oppida illa defeciſſe conjecimus, his Oppidis everſis, ſcimus ab Attidiatibus potius, quàm a Sentinatibus, ut quidam putant, vel ortum, vel incrementum ſuum duxiſſe Fabrianum; quod ſub Guillelmi epiſcopatu ad annum 1254. firmamus; & ſententiam noſtram hoc argumentum validiſſimè comprobat, quod Fabrianenſes parvuli uſque ad Guillelmi tempora ad baptiſmalem fontem Plebis Attidiatis aſportabantur illo ſalutari lavacro regenerandi; idque apertiſſimè firmat ſuo diplomate Guillelmus his verbis: *Nobis ſunt conqueſti ſuis litteris rationabiliter Poteſtas, & populus Fabriani, quod tum quia Plebs Attigii tribus fere milliariis diſtet a Fabriano, a qua recipiunt baptiſmi neceſſarium Sacramentum* &c. Quod revera non leve argumentum eſt ad conſtituendam Oppidi Fabriani vel originem, vel amplificationem ab everſis Attidiatibus ductam; dum ad medium uſque XIII. ſeculum Plebem Attidii, ut Matrem agnoſcebant populi Fabrianenſes.

XV. Alia nunc conjectura id confirmari poteſt. Non ignoramus Attidiatem plebem Deo fuiſſe, & eſſe dicatam in memoriam *S. Jo: Baptiſtae*, cujus titulo princeps ipſa Attidias Eccleſia hodiedum eſt inſignita. Scimus item Fabrianenſes ſuae civitatis Patronum multo abhinc tempore *S. Jo: Baptiſtam* venerari. Quis modo inficiatur, & perperam opinetur exiſtimans, cultum *S. Jo: Baptiſtae* ab Attidiatibus Fabriani fuiſſe propagatum, vel potius ad illud Oppidum invectum, quum Attidiates ad hoc vel conſtituendum, vel amplificandum ſe contulerint poſt ſuae Civitatis vaſtitatem? Nunc ad Tufficum ſermonem vertamus.

XVI. Everſo municipio Tufficano, quod ab Attidiate ad V. mill. paſs. circ. aberat, quo commodius potuit ſe recipere gens Tufficana, niſi Fabrianum? Ad Orientem undique montes infoecundi, & abrupti. Ad meridiem Matilica agrum ſuum ad Tufficum protendebat. Ad Auſtrum nonniſi ſaxa, horrenteſque montes obviam ſunt. Ad Occidentem ſolum amoena planities per decem ferme milliaria ſeſe protendit ad illos Apenninos montes, quibus Foſſatum caſtrum nomen dat, non longe a quibus ſitum eſt Fabrianum. Illuc igitur cum Attidiatibus ad amplificandum tam amplum, & populoſum Oppidum Tufficanos fluxiſſe oportuit: Utraque enim colonia & Attidias, & Tufficana cöaevam ſuſtinuiſſe ruinam fatenda eſt. Credibile propterea eſt, ſicut Attidiates *S. Jo: Baptiſtae*, ſic Tufficanos *S. Venantii* cultum Fabriani propagaſſe (uterque enim Sanctus Civitatis Patronus eſt) extruendo templum illius nomini ſacrum, hodieque S. Venantii titulo inſignitum, & ubi Cathedra Epiſco-

Digitized by Google

ſcopalis eſt noviſſimè erecta; eratque ibi inſigne Canonicorum Collegium, cujus antiquitatem probat Rodulphi charta, de qua mox, quamque in appendice damus ad annum 1046.

XVII. Haec opinio, quaecumque illa ſit, novis etiam poteſt argumentis comprobari. Non potuit gens Tufficana obſequium ullum, & religionem Eccleſiae ſuae tribuere; ad eamque parvulos ſuos exportare ſacris luſtralibus aquis abluendos, quemadmodum tribuebant ſuae Attidiates, tum ob univerſam, & Oppidi, & Cathedralis Eccleſiae vaſtitatem, ut de Tuffico, deque illius Eccleſia nullae hodie ſuperſint reliquiae, tum ob itineris longitudinem, Tufſicum enim ad v. mille paſs. a Fabriano abeſt. Honore autem *S. Venantium* afficere forte ſtuduerunt Tufficani a fundamentis aedificando Fabriani in ejus memoriam templum, parvulum quidem amplitudine de more illorum temporum, ut nos arbitramur: donec anno 1046. Rodulphus Conradi filius Vir nobilis, & praedives novum templum magnificentius aedificandum curavit, & Canonicam jampridem ibi fundatam munificentiſſime dotavit. Id propemodum innuit Rodulphi charta, qua cedit Eccleſiae *S. Venantii domum cum horto pro fabrica Eccleſie S. Venantii ad deſtruendum, & faciendum totum illud, quod ego facere poſſum, & quidquid vobis presbyteris placuerit. & promitto quod ad feſtum dicti ſancti ſolvam vobis x. libras auri ..... & dabo unum vitellum cum duobus modiis frumenti pro veſtra menſa quolibet anno uſque ad mortem meam*. Sunt verba diplomatis Rodulphi, queis certiores reddimur ante annum 1046. templum S. Venantio ſacrum, & in eo Canonicam conſtitutam jam fuiſſe: quum Rodulphus presbyteris ibi exiſtentibus donet domum cum horto, & quotannis decem libras auri, vitulum unum, duoſque modios frumenti pro illorum menſa. His rationibus ducti *Sancti Venantii* Epiſcopi Albacinae quieſcentis in Fabrianenſes cultum fuiſſe inductum, illumque cultum ſpectaſſe non ad alium Venantium, quam ad Albacinenſem probabili conjectura cenſemus. Animadvertimus, quod ſi Tufficani ſacra ſancti *Venantii* Lipſana tranſtuliſſent Fabrianum, cultus hujus Sancti ſolidiori fundamento fuiſſet innixus, & in illo Oppido felicius propagatus: qui ſcit tamen, cur id exequi Tufficani neglexerint. Forte *S. Venantii* lipſana jam erant abſcondita, forte etiam Monachi illa poſſidentes Fabrianum transferre recuſarunt. Recole quae ſcripſimus ſupra cap. III. n. XII.

XVIII. At enim: qui Epiſcopi *Venantii* memoria Fabriani poſtea ſic evanuit, ut templum jam S. Venantio Epiſcopo ſacrum, illique erectum modo ſacrum ſit *S. Venantio* martyri Camerinenſi? Facilis reſponſio in promptu eſt, conjecturis ſemper adhibitis. Pe-

rierat ad annum forte 1046. memoria *S. Venantii* episcopi apud Fabrianenses, tum defectu Tufficanorum, qui omnes obierant, cum ob innumeras calamitates, quae nostras regiones afflixerunt. Quare evenire potuit, ut erecto a Rodulpho novo templo *S. Venantio* sacro, quem *Venantium* gens Fabrianensis jam venerabatur coeco quodam cultu, prorsus ignara an Venantius suus esset Episcopus, & Confessor, an Martyr. Venantium tunc venerari coeperunt apud Camerinenses *clarissimum Martyrem*, & Camerini, *illiusque* Dioeceseos *principem Protectorem*. Sic cultus *Venantio* episcopo studio forsan Tufficanae gentis Fabrianum inductus transit ad Venantium Martyrem Camerinensem, & alterius cultus cum altero confusus est.

XIX. Immo vero, si Tufficum excidisse velimus opera barbararum gentium seculo circ. VI, tunc quis non videt validissimum argumentum ab hac aera posse elici ad argumentandum *S. Venantii* cultum apud Fabrianenses ante annum 1046. fuisse potius tributum *Venantio* Albacinensi, quam Camerti? Matilica enim inter Tufficum & Camerinum habebat dioeceſim suam, quam gubernarunt *Aequitius*, qui Concilio Romano anno 487. interfuit, & *Florentinus*, qui damnationem in Civitate Constantinopolitana contra Theodorum Episcopum Caesareae a Vigilio R. Pontifice latam, subscripsit, & Matilica non a Gothis, seu Langobardis, sed opera Berengarii II. fuit vastata anno 946, ut dictum est; ideoque *usque ad* hunc habuit Episcopos suos. Si ergo Tufficum, & Attidium vastata sunt seculo VI, harum Civitatum dioeceses, quando illis, ut probabilius est, Episcopos assignare velimus, non Camerinensi Episcopo, sed Matilicano debuerunt commendari, cujus Episcopalis Paroecia intermedia erat inter Tufficum, & Camerinum. Quomodo igitur cultus *S. Venantii* Camerinensis potuit propagari in Fabrianenses, si Fabrianum post vastitatem tantum Matilicae, seculo forsan XI, Camerinensis Antistitis fuit curae demandatum? *Solidiori* propterea conjectura credendum est cultum *S. Venantii Albacinensis* ab ipsis Tufficanis Fabrianum fuisse invectum post Tuffici desolationem, vel seculo VI, vel VII; & aedificato Fabriani circa medium XI. seculum novo templo *S. Venantio* sacro, quando forsan Episcopi Camerinenses jura sua in illud Oppidum extenderunt, ibi deperdita jam memoria *Venantii Episcopi*, templum illud a Rodulpho excitatum sacrum fuisse dictum *Venantio Martyri* Camerinensi; & sic cultum *S. Venantii* Episcopi cum illo S. Venantii martyris mixtum, & confusum.

XX. Quod si *Venantius* Albacinensis esset martyr, non Episcopus, ut supra pariter conjecimus, quis non videt quanto facilius

unius

unius cultus cum alterius martyris cultu potuit confundi; & religio praestita a Fabrianensibus *Venantio* martyri Albacinensi, ad *Venantium* martyrem Camerinensem transferri. Si qua antiqua icon Fabriani in templo *S. Venantio* sacro reperiretur, quae martyrem *Venantium* repraesentaret, quanto facilius potuit, obliterata memoria martyris Albacinensis, cultus illius imaginis transire ad martyrem Camerinensem? His propterea rationibus ducti definire haud postumus an *Venantius* Albacinae veneratus Martyr sit, an Confessor, an Episcopus: nihilque aliud [illegible] superest ad hanc veritatem perspectam habendam, quam sacra illa Lipsana, effossa humo, detegere: ut, si quae monumenta in loculo appareant ad Venantii characterem firmandum, definire possimus, quisnam sit *S. Venantius* Albacinae veneratus; & illius cultus confusiones adimere.

XXI. Neque vero hujusmodi Sanctorum cultus confusiones in ecclesiasticis fastis sunt admodum rarae; sed passim occurrunt. Accipite exempla ab nostra historia deprompta. Atto III episcopus noster anno 1218. condidit ecclesiam in loco, qui dicitur de Buraco inter Pyrum, & Cingulum, eamque dicavit SS. Antonio, & Bartholomaeo, utique Abbatibus. Iste Bartholomaeus alius non est, nisi celeberrimus ille Abbas IV. Cryptae-ferratae: atqui hodie in Ecclesia, deperdita memoria, & cultu S. Bartholomaei abbatis, recolitur quotannis memoria S. Bartholomaei Apostoli, nullusque cultus exhibetur S. Antonio. E contra; extra moenia oppidi Serraesanti Quirici ad occidentem inter Sylvas ad montis scopulos surgit templum Deo, & S. Bartholo III. generali Abbati Ordinis S. Silvestri dicatum; quod templum ab ipsomet S. Bartholo abbate dicatum fuit S. Bartholomaeo Apostolo; & haec Ecclesia hodie Sancti Bartholi nomen habet, ibique praecipuo honore colitur. In agro Cingulano Canonica SS. Quatuor Coronatorum nonne sacra fuit Sancto Coronato? Id etiam evenit cultui S. Severini episcopi Septempedani permixto cum cultu S. Severini abbatis; & S. Victorini fratris ejusdem S. Severini, ut sub supposito S. Victorini episcopatu differuimus, & de Sancto Severino episcopo Septempedano exposuimus. Idipsum potuit contingere in Fabrianensi oppido. Cultus *S. Venantii* Albacinae quiescentis omnino diversi a *Venantio* martyre Camerinensi, confusus fuit & permixtus cum illo Venantii Camerinensis; ut, obliterata primi Venantii memoria, hodie Fabrianenses solum honore, & veneratione *prosequantur Venantium martyrem Camerinensem*, cujus tutela Camerinum, ejusque ampla dioecesis laeta congaudet. Haec ego de S. Venantio Albacinensi, haec de illius cultu argumentor. Conjecturas tamen meas ea animi

mi aequitate legentium oculis subjicio, ut paratus semper sim ad illas revocandas, quoties monumenta proferantur, quae illas vel enervent, vel omnino dissolvant.

CAPUT V.

De Episcopis Laurentio, Terramundo, Ugone II, Todino.

I. Laurentius *Warnerio Marchioni jure emphiteutico cedit Castellum San-Severini, & alia jura.*
II. Terramundus *quaedam bona concedit Coenobio S. Mariani.*
III. Gualterius quidam offert quaedam sua bona Ecclesiae S. Mariae Camerinensi, & pro ipsa Ugoni *Episcopo. Ugo plura privilegia cedit Capitulo ecclesiae Sancti Severini.*
IV. Episcopus N. N. florens anno 1146. argumentamur quis fuerit: probatur fuisse Todinum, *seu* Teodinum.
V. Difficultates P. Camerini dilauuntur.

I. PRimus, qui XII. seculo praefuit Camerinensi Ecclesiae Antistes *Laurentius* est Ughellio ignotus; illamque regebat anno 1103. fide cl. Camerinii, qui in suis additionibus ad Lilii historiam asserit illius memoriam haberi diplomate ab eo expedito favore Monasterii de Domoris. Muratorius [1] alterum vulgavit *Laurentii* diploma datum anno 1119., quod habes in Appendice. Camerinensi Marchiae praerat adhuc Warnerius; cujus favore *Laurentius* diploma dedit, quo illi, & Altrudae Comitissae uxori tuae, & Warnerio filio jure emphiteutico ad tertiam generationem concessit *Castellum Sanctiseverini, & ejus curtem integriter, & integrum cum omnibus, quae ad ipsum Castellum, & ad ejus curtem pertinere videntur cum ipsa Sanctiseverini* ecclesia (sunt verba diplomatis) Item *Castrum Pallioliti* (2) *cum omnibus sibi subjacentibus, & pertinentibus in integrum. Plebem S. Victorini* (3), *& Manna-*

(1) Antiq. medii aevi Tom. 1. col. 524.

[2] Castrum Pallioliti (vulgo Palloriro) omnino disjectum pagus evasit ad orientem San-Severini, & ab eo bis mille circ. passibus distitum.

[3] Ecclesia parochialis Ploraci sacra est S. Victorino illius oppidi Patrono. Rector illius Ecclesiae Plebani titulo ornatur. In magnam ducor suspicionem ad credendam *Plebem S. Victorini* esse Ploraci plebem in diplomate nostri *Laurentii* memoratam. Quod si verum est Plebs ista non in dioecesi Septempedana, sed in Camerinensi semper fuit. Forsan opportuna habebimus documenta ad hanc veritatem assequendam; quae, si nobis praesto erunt, in appendice proferemus.

Digitized by Google

naſterium Dolioli (1), *& Monaſterium de Demora* (2) *cum omnibus ſibi ubique pertinentibus, & campos de plebe S. Petri* (3). Haec ſunt quae Marchioni Warnerio ceſſit *Laurentius*. Idipſum fecit Azo Epiſcopus Firmanus eidem Warnerio de Caſtro Agelli [4]. Cur vero id egerit *Laurentius* in eodem diplomate expreſsè legitur; quia ſcilicet illum ſperabat ſuae Eccleſiae defenſorem. Forte enim *Laurentius*, Italiâ tumultuante, Civitatum, & inſignium Caſtrorum communia, Imperatorum enervatam potentiam non amplius pertimeſcentia, armis adhibitis, unaquaeque jam ſibi uſurpata Caſtra, agroſque ſuos vindicare, illorumque iterum potiri animadvertebat; ne propterea Eccleſiae ſuae jura pari infortunio minuerentur, & ad frenandam forte San-ſeverinatum libidinem juribus ſuis potiundi, ceſſit *Laurentius* Sanſeverinum Warnerio, implorato illius auxilio ea tempeſtate validiſſimo; tenebat enim principatum Marchiae Camerinenſis; cujus potentia, & auctoritas incolas Civitatum, & Caſtrorum *Laurentii* juriſdictioni ſubjectas, poterat in ordine continere. Nonnulla de Laurentii diplomate diximus Capite v. §. VI. diſſertationis praeliminaris.

II. *Terramundi* nomine ignoti pariter Ughellio antiſtitum Camerinenſium ſeriem augemus. Lilius cognovit *Terramundum*, & in ſua hiſtoria (5) profert documentum; Scheda continet donationem quorumdam bonorum ſtabilium a Terramundo factam Monaſterio S. Mariani (6) in agro San-ſeverinate, cum onere dandi *annuatim in aſſumptione S. Marie una libra de cera* = cujus chronologicae notae ſunt = *anni ſunt milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo & regnante Rigo imperatore, & facta eſt menſe octobris pro indict. quarta. Civitate Camerine* = Charta igitur nos certiores reddit *Terramundum* Camerinenſem Eccleſiam rexiſſe anno 1122; & propterea *Laurentii* immediatum ſucceſſorem fuiſſe. In ipſa obſignatus legitur *Ugo electus epiſcopus*; hinc aſſequimur notitiam illius in Epiſcopatu ſucceſſoris, qui forte erat Archidiaconus; nam obſignati exinde ha-

ben-

(1) Monaſterium *Dolioli* celebre eſt illud antiquiſſimum Coenobium S. Laurentii infra moenia San-Severini ſitum, de quo P. Gentilius in ſua Diſſert., & nos infra opportunius ſub Epiſcopatu ....

(2) Monaſterium de *Demora* illud eſt S. Michaelis & S. Euſtachii de Domora ad occidentem aeſtivum San-Severini, de quo opportunus nobis infra recurret ſermo in noſtrorum Antiſtitum ſetie. Ambo haec Coenobia pinguem habent Cenſum; cum Monaſterio de *Rambona* canonicè unita.

(3) Plebem S. Petri aliam non eſſe conjicimus, quam caſtrum *S. Petri* in agro San-Severinate ad ejus auſtrum, & a Civitate VIII. circ. mill. paſſ. diſſitum, de quo ſermonem habuimus in praeliminari diſſertatione.

(4) Adam. fragm. de reb. Firman. Lib. I. Cap. 25.

[5] Lil. Part. I. Lib. VII. pag. 217.

[6] De Coenobio S. Mariani fuſius agimus ſub Epiſcopo Philippo lib. III. Cap. III. §. XII.

Digitized by Google

bentur *Paganus Archipresbiter*, *Bambo Primicerius*, & *Joannes presbiter*.

III. Quem in enunciato Terramundi diplomate obſignatum legimus *Ugonem* electum Epiſcopum, eratque forſan, ut diximus, Archidiaconus tempore Laurentii, & Ugonis I, quemque ſuſpicatur Lilius [1] ejuſdem *Terramundi* fuiſſe in Epiſcopatu Coadjutorem. cathedram Camerinenſem certo certius tenuiſſe ſcimus a quadam concordia inter Attonem III. Epiſcopum, & Priorem, Canonicoſque eccleſiae Sancti Severini firmata anno 1213, quam in appendice damus. Contulit noſter Ugo II. plura privilegia capitulo Sanſeverinati, quae in memorata concordia enunciatur. Floruiſſe tamen anno 1135. in Cathedra Camerinenſi aperte colligimus ex charta, quam laudatus Camerinius exhibet in MSS. additionibus ad Lilii hiſtoriam [2] quam pariter in appendice habes, & continet donationem a quodam Gualterio factam *Ugoni* epiſcopo, Archidiacono, & Canonicis cathedralis Eccleſiae quorumdam bonorum.

IV. Ante *Acceptabilem* ſeu *Accettantem* Ughellius in Sede epiſcopali ponit Epiſcopum N. N. cujus nomen ignorat; & ait anno 1146. Fulginei interfuiſſe concilio habito a Julio Presbytero Cardinali tit. S. Marcelli Eugenii III. Legato. Nos ignotum illum Epiſcopum aſſerimus fuiſſe *Todinum* auctoritate laudatae ſchedae ad Attonem III. ſpectantis, in qua inter Ugonis II, & Acceptabilis nomina habetur *Todinus* ſic = *Item agebant adverſus epiſcopum, ut confirmaret eis omnia privilegia & cartas, quae, & quas habent ab Ugone, Todino, Acceptante epiſcopis &c.*, quo documento horum trium Epiſcoporum roboratur ſeries. *Todini* etiam *Teodini* dicti memoria habetur ad annos 1146, & 1152. apud Benedictinos Annales (3) Mabillonii ex auctenticis documentis, & in aliis ſchedis in noſtra appendice: ideoque non videtur ultra laborandum ad expiſcandum nomen illius Epiſcopi, qui Fulginati concilio anno 1146. interfuit.

V. P. Camerinius in ſuis laudatis additionibus *ad Lilii hiſtoriam* animadvertit ſub oculis habuiſſe quamdam chartam, quae continet unionem plurium eccleſiarum factam a *Todino* Coenobio, & Eccleſiae S. Michaelis Archangeli de Domora anno 1166. *Indi. VIIII. anno XVII. regnante Conrado rege ſub Papa quoque Eugenio tempore VV. ducis, & marchionis*. (4) Suſpectam tamen habet illam chartam cl. Camerinius, quia eandem ipſam unionem anno 1166. a *Todino* fa-

(1) Lil. Part. 1. Lib. VII. p. 217.
(2) Lil. in addit. mss. P. 1. Lib. VII. p. 219. ibique Camerinius conjicit Terramundum ſuos obiiſſe dies anno 1126.
(3) Tom. VI. p. 381.
(4) Lege *Warnerii*, ut ſupra Lib. II. Cap. VI. in notis ad num. VIII.

Digitized by Google

factam repetit etiam *Acceptabilis* anno 1171. iisdem plane verbis conceptam, & exaratam; permutato solum anno, indictione, Principum, & episcopi nominibus. Haec tamen difficultas levis est, & pro nihilo habenda. Leguntur enim passim & apostolicae litterae, & Principum, Antistitumque diplomata iisdem verbis exarata, quando praesertim privilegiorum, & largitionum continent confirmationem. Immo vero hanc monachorum, & canonicorum sollicitudinem per haec tempora confirmationem expostcentium privilegiorum obtentorum *vel a Principibus vel ab Episcopis*, ab horum successoribus pluries animadvertimus factam, & in hac *nostra serie* nonnulla exempla in documentorum appendice producimus. Id propemodum evenit in *Acceptabilis* diplomate ab ipso, ut infra videbimus, expedito pro Coenobio S. Michaelis Archangeli de Domora *imitando*, ut ibi legitur, *certa vestigia suorum praedecessorum*. Hac igitur ratione scheda a P. Camerinio visa non debet esse suspecta. Et multo minus Camerinii suspicionem augere debet ratio illa, quia videlicet Todini nusquam Todini, & illius Episcopatus memoriam reperit. Nos enim in tot producendis in appendice documentis *Todini* episcopi Camerinensis certam habemus sedem, ut dubitare amplius non debeamus, quin ille N. N. Episcopus Camerinensis Fulginei in Concilio obsignatus credendus sit *Todinus Acceptabilis*, seu *Accettantis* praedecessor. Denique ex hucusque dictis colligimus *Todinum* Episcopum ecclesiam sibi commissam diu gubernasse. De eo enim memoriam habemus ab anno 1146. ad annum 1166. ex documento a Camerinio viso; ut ipse testatur.

CAPUT VI.

De Acceptabili, & Attone II. Episcopis.

I. Acceptabilis Todino successit in Episcopatu.
II. Agitur de Monasterio S. Michaelis de Domora.
III. Interfuit Concilio Lateranensi sub Alexandro III.
IV. Suo diplomate Acceptabilis concedit jure emphiteutico filiis Raynaldi Petri quicquid habet in Curte Collis Lutii.
V. Atto fuit postremus Episcopus seculi XII. *tempore Marquardi tyranni, de quo disseritur.*
VI. Atto floruit ad annum 1223.
VII. Rem habuit Atto cum Consulibus Fabriani super jure eligendi Canonicos S. Venantii. Lis fuit per judices compromissarios definita.

Digitized by Google

VIII. Habuit etiam rem cum Priore Monaſterii S. Helenae in ora Aeſii fluvii.

I. TOdini ſucceſſor fuit *Acceptabilis*, ſeu *Acceptans* ex ipſa annorum ſerie. Floruit enim *Acceptabilis* anno 1171. fide diplomatis ipſiuſmet Antiſtitis, quod in tabulario Sancti Laurentii in Doliolo San-Severini aſſervatur expeditum pro Monaſterio Abbate, & Monachis *S. Michaelis Archangeli, quod eſt edificatum* (ſunt verba diplomatis) *in loco qui dicitur Domorum* (1) cujus exemplar dat in ſuis additionibus P. Camerinius, noſque in Appendice damus. *Acceptabilis anno MCLXXI. regnante Frederico Imperatore*, W..... *& Marchione* concedit Monaſterio de Domora, Petro III. Abbati, & Monachis domos cum Eremo terras vineas, & ſylvas cum aliis juribus, & inter haec plebem *S. Zenonis* (2) cum xv. Eccleſiis huic plebi annexis, & unit ea dicto Monaſterio cum conſenſu Archidiaconi, Primicerii & Canonicis Cathedralis Eccleſiae Camerini cum onere praeſentandi ſingulis annis in feſto S. Marie unam Candelam pondere unius librae.

II. Coe-

[1] Inter horridos receſſus, & anfractus montium, qui anguſtam pandunt viam, Camerinum verſus ad dexteram fluminis Potentiae a San-Severino 11. mill. paſſ. diſtans ſuper ſcopulos erat conſtructum Coenobium S. Michaelis Archangeli & S. Euſtachii de Domora, ſeſeque protendebat intra cavitatem ſpecus: ſatis amplum Coenobio Templum erat junctum alto pariter ſcopulo inixum ſtructura fortiſſima quadratis oblongis lapidibus perpolitè laboratum, quod pugnat adhuc & contra temporum injurias, & cuſtodientium inertiam. Vixiſſe ibi Benedictinos Monachos antiquiſſimae obſervantiae eſt argumento locus inamenus inhoſpitus, & deſertus, immo horridus, & confragroſis ſcopulis impervius, ubi non obſcura viſuntur veſtigia cellularum pro Monachis incluſis in ſaxo excavatarum. Vide quae ſub ſuppoſito Victorini Epiſcopatu diximus Lib. I. Cap. III. §. IX. pag. 89.

[2] Plebem hanc diu quaeſitam aliquando reperi ſtudio V. C. Joſephi Amici Iſti, Antecceſſoris, & Patricii Camertis doctiſſimi. Sita eſt *plebis S. Zenonis* Eccleſia in Agro Camerinenſi non longe a finibus agri Septempedani ad levam viae, qua Camerino San-Severinum progredimur inter Caſtrum Raimundi, & tabernam illam quae *Selvalagli* vulgo dicta eſt. Hodie non *Plebs S. Zenonis*, ſed *S. Maria Plebis* nuncupatur a beatiſſimae Virginis Mariae imagine in muro ejuſdem templi picta miraculis a Deo pene innumeris illuſtrata. Horum teſtes ſunt vota etiam argentea, & quidem inſignia, quibus opertae videntur templi parietes. Durat adhuc ad illam Eccleſiam etiam advenarum concurſus, & pietas. Solemnes illae ſupplicationes, quae quotannis a gente Caſtri Gaglioli, *in cujus paraeciae finibus Eccleſia iſta ſita eſt*, celebrabantur *ſingulis* ſextis feriis menſis Martii, quae obſoletae jam ſunt, ſunt hodie in feſtis diebus Annunciationis, & Aſſumptionis B. V. M., & in die ſolemni Paſchatis reſurrectionis Domini; & ſic exhibent erga imaginem Virginis Gaglioli gentes pietatem, & cultum. Hodie plebis S. Zenonis, S. Mariae Maculatum (haec Eccleſia erat Monaſtica, habebatque annexum illuſtre Monaſterium Benedictinum) & S. Apollinaris Eccleſiae ſimul Canonicè unitae beneficia ſimplicia facta ſunt, & a S. Sede conferuntur.

Digitized by Google

II. Coenobii S. Michaelis Archangeli de Domora nulla in tabulario San-Severinatis Eccleſiae Cathedralis habetur me mo ria: at non ita de Aſceterio S. Euſtachii. Quia vero templa, quae Monaſterio S. Michaelis Archangeli cedit Epiſcopus *Acceptabilis* eadem omnino ſunt ac illa, quae hodie juris ſunt Abbatiae S. Euſtachii, idem eſſe tenendum eſt Monaſterium S. Michaelis Archangeli, ac illud S. Euſtachii; cujus reliquiae ſuperſunt adhuc.

III. Nobiliorem de Acceptabili nobis memoriam dat annus 1179, quo Lateranenſi Concilio [illegible] interfuit Antiſtes noſter ſub Alexandro III, ubi obſignatus legitur = *Acceptabilis Camerinenſis* = lege cum Labbeo (1) & quidem optimè = *Camerinenſis*.

IV. Florebat adhuc *Acceptans* anno 1186; idque patet ex documento tabularii Cathedralis Eccleſiae San-Severinatis, ubi etiam memoratur *Acceptantis* anteceſſor *Todinus*. Hoc ſuo diplomate concedit jure emphiteutico ad tertiam generationem maſculinam filiis Reinaldi Petri, quicquid iſti tenent *in curte collis Lucis* [2] & in

Z 2 Cur-

[1] Collect. Concil. Tom. XIII.

[2] Caſtrum *Collis Lucis* muris undique fortiſſimis hodiedum vallatum Tolentinum verſus a San-Severino 11. mill. paſſ. abeſt. Bartholomaeus Facius in libro, quem de rebus geſtis ab Alphonſo I. Neapolitanorum Rege ſcripſit, (lib. VIII. pag. 196, & 197.) narrat Regem hunc, ut commeatibus ſuis copiis provideret „ ultra eum „ locum, quem portam Serraſallis vocant (anguſtiae quaedam ſunt difficiles „ tranſitu) profectum juxta ripam Clentis „ fluminis caſtra poſuiſſe. Quo in loco „ agnovit Franciſcum (*Sforziam ſilicet*) „ haud procul a Sancto Severino oppido „ abeſſe, & cum eo Sigiſmundum Malateſtam, qui genet ſocero in auxilium „ cum copiis haud contemnendis venerat. Erant in hoſtium exercitu ad octo„ millia militum. Conſtituerat autem rex „ eo die commeatuum inopia, quorum „ quidem magnam vim parari oportebat, „ conquieſcere. Coeterum, ut accepit „ Franciſcum unius modo diei iter a ſe„ abeſſe; mutato repente conſilio, cir„ citer ſecundam noctis vigiliam ulterius „ progredi cepit: omniſſoque recto itinere, quod Tolentinum ferebat, ad „ laevam flexit. Ea enim eſt via rectior „ ad Sanctum Severinum contendenti, „ quo in loco Franciſcum Caſtra metatum diximus; quamvis propter locorum aſperitatem equiti aliquando in„ commodior eſſet. Quumque jam orta „ luce rex ad *Collem Lutii* (ita Caſtellum vocant) perveniſſet, qui locus a „ Sancto Severino haud multum aberat, „ factus eſt certior Franciſcum cognito „ ejus itinere, motis propere caſtris, Cingulum conceſſiſſe &c. Quod poſtquam „ in Caſtris auditum eſt, maximis clamoribus milites a rege poſtulabant, uti „ Caſtellum, de quo ante diximus, quo „ militiam haud ſegnem agerent, a ſe„ oppugnari ſinetet. Quorum ſtudio perſpecto rex, quamquam invitus propter „ Caſtellanorum calamitatem id poſtulantibus conceſſit &c. Cumque jam pugnari ceptum eſſet Sancto-Severinates, „ quo Franciſcum, metu regis, ſeſe Cingulum recepiſſe cognoverant, miſſis ei „ obviam legatis, antequam propius accederet, allatis portarum clavibus, „ deditionem facere conſtituerunt. Qui „ cum ſeſe ad pedes ejus ſupplices projeciſſent, traditiſque clavibus, nulla„ Pontificis mentione facta, deditionem „ facerent, Rex iis longa oratione oſten„ dit

Digitized by Google

Curte Belvignani item dat iisdem partem *Caſtellaris Collis lucis* & alia quamplura bona, quae ad Epiſcopalem menſam Camerinenſem ſpectabant. Id autem *Acceptans* dicit ſe facere, quia = *dediſti mihi* (ſunt verba diplomatis) *pretium octo libr. Lucen. & unum annulum aureum valens trium librarum Lucentium; & antequam hoc ſcriptum vobis faceremus habebatis in pignore totum illud, quod habetis ab Eccleſia in Curia Collis Lucis & Balvignani* (1) *pro ſex libr. Lucen. ab Epiſcopo Tudino* &c. Documentum habes in Appendice.

V. Poſtremus, ~~qui ſeculo XII. horum Epiſcoporum~~, fuit *Atto* hoc nomine II, & certis documentis noſtram adminiſtrabat Eccleſiam, anno 1192. quo tempore Camerinenſis Marchia a Marquardi tyrannide vexata eſt. Marquardus Camerini morabatur; ſeſeque dicebat Romandiolae, & Marchiae Anconitanae ducem. [2] *Statim poſt ſuam electionem* (Innocentius III.) *deſtinavit duos presbyteros Cardinales* (verba uſurpo anonymi Scriptoris vitae Innocentii) *Cinthium tit. S. Laurentii in Lucina, & Joannem tit. Sanctae Priſcae contra Marcualdum in Marchiam, ut eum ad dominium revocaret. Ipſe autem Marcualdus miſit Nuncios ſuos, videlicet Camerinum, & Venefranum Epiſcopos, & nobilem virum Rambertum Monaldi ad dominum Innocentium petens per illos, ut faceret ipſum ad praeſentiam ſuam ſecure conduci, quia de perſona & de pecunia & de terra volebat eſſe ad mandatum ipſius* &c. Irrito tamen eventu. Tunc Marcualdus *obtulit Papae pecuniam copioſam, annuum cenſum promittens, ſi recepta fidelitate concederet ei terram; quod cum Dominus Papa facere nollet, quia ſuſpectam habebat fraudem ipſius, reliquit Marchiam & regnum intravit* &c. [3] Itaque *Atto* noſter legatione hac perfunctus eſt. Dum Marquardus Camerini manſit Civitas illi adhaeſit; ipſo tamen fugato ultro ſe Rom. Pontificis imperio dedit; & tunc Camerinenſis populus quaſi plena libertate potitus jura ſua nancifci, & ampliare enixè ſtuduit.

VI. Atto noſter, quem Camerinius (4) fide Jacobillii *ex illuſtriſſima familia de Attis Fulginatenſis prognatum ſcribit*, a pleriſ-

„ dit ſe nulla ſui commodi ſpe, ac domi-
„ nandi cupiditate, ſed pro Romanae
„ Eccleſiae dignitate, & commodo eam
„ expeditionem ſuſcepiſſet. Cujus illi vo-
„ luntate cognita, Pontificis Legato de-
„ ditionem fecerunt, cui & claves ad ſe
„ allatas rex tradi juſſit. Inter haec qui-
„ dem Caſtellum diutius reſiſtere haud
„ poſſe videretur, iidem Legati ſupplici-
„ ter a rege petierunt, uti ſuos a dimica-
„ tione revocaret, nec Caſtellum evecti
„ &c. Quorum precibus permotus, quam-
„ quam victoria jam in manu eſſet, re-
„ ceptui cani juſſit „ Haec dicta ſint ad illuſtrandum Caſtrum *Collis lucis*, olim *Collis lutii* nuncupatum.

[1] Ignorum nomen nobis eſt.

(2) Lil. hiſt. di Cam. P. 1. Lib. VIII. pag. 226.

(3) Init. oper. Inn. III. Edit. 1635. P. 3.

(4) Part. 1. Lib. VIII. in addit. naſc. in fine.

Digitized by Google

risque, qui de Episcopis Camerinensibus egerunt, creditur vitam traxisse ad annum 1218. Ughellius ad annum 1215. illum memorat. Abbas Cannetus vir doctrina, & pietate inter Camaldulenses Monachos clarissimus in suis marginalibus notis ad Ughellium, quo ille, quoad vixit, usus est, & in celebri Classensis Coenobii Bibliotheca Ravennae custoditur, scripsit = *Acto attigit annum* 1218, *ut ex charta archivi S. Blasii Fabriani* = Sic me aliquando monuit cl. P. Abbas Sartius. Idipsum putavit P. Lucentius, aliique cum Camerinio in additionibus ad Lilii historiam. (1) At *Atto*, ut infra aperte probabimus, vixit ad annum 1223.

VII. Atto, de quo hic agimus, florebat anno 1192. in Camerinensi Sede (2) fide documenti tabularii Ecclesiae Cathedralis Fabrianensis a cl. Canonico Buto mecum communicati. Orta siquidem discordia inter Attonem Episcopum, & Consules Fabrianenses de jure eligendi Priorem, & Canonicos Ecclesiae S. Venantii, quae Princeps est Ecclesia illius Civitatis, selecti fuerunt arbitri ad hanc, aliasque plures quaestiones componendas, quae legi possunt in scheda quam damus in Appendice; ubi etiam Episcopi *Todini* memoria renovatur.

VIII. Rem postea habuit *Atto* noster cum Martino Priore Camaldulensi, & cum Nicolao Abbate, & Monachis S. Helenae; illius nempè Monasterii in ora Aesii fluvii non longe a Serra Sancti Quirici a S. Romualdo fundati, ut scribit Damianus; (3) nonnullaque Atto excitavit jura pro electione, confirmatione, & benedictione Abbatis illius Monasterii, aliisque nonnullis, quae continentur in charta Concordiae inter supradictos initae anno 1195; in Appendice prolata, in eaque testes vocati sunt viri in dignitate constituti; qualis *Sassson* Abbas Monasterii Vallis-focinae, & Abbas Ubaldus Coenobii de Rotis. Item quidam Episcopus *Nicolaus*. (4) Maurus Prior de Eremita [5] Vitalis Prior de Serra [6] & tandem postremus in iisdem tabulis testis habetur Paulus Prior *Aquae de*

(1) Lillius ubi supra.

[2] Si ergo auctoritate documenti Fabrianensis florebat *Atto* anno 1192; corrigendus est Camerinius in suis additionibus (ubi supra) qui scribit *Acceptabilem Attonis* praedecessorem vitam duxisse ad annum 1195, vel 1196.

[3] De Ascetetiis *Vallis-focinae*, & *de Rotis*, infra opportunius disseremus, illaque pro viribus illustrabimus.

(4) Quis sit *Nicolaus* ille Episcopus alter ex testibus non liquet; ni forte fuerit Abbas S. Victoris de Clusio in Agro Fabrianensi, quem Episcopali charactere fuisse insignitum seculo XI. videbimus libro sequenti.

(5) De Coenobio *de Eremita* agit P. Abb. Sartius in sua Cuprensi Epistola (§. XLVII. pag. 85. edit. Pisan.) & illud est hodieque vulgo dictum = *la Remita* = in Agro Massatiensi, quod incolunt Fr. Minores Observantes Reformati dicti. In antiquis tabulis appellatus est Priioratus de Mandtiolis, & ad Camaldulenses spectavit ad annum 1451.

[6] Monasterium *de Serra* cum templo San-

Digitized by Google

de Perellis (1) memorati Abbates, & Priores praesidebant Monasteriis in nostris regionibus satis olim notis.

LI-

Sanctae Mariae Sacro, ubi praesidebat Vitalis, de quo Monasterio plura in schedis Pyranis, situm erat prope arcem Accolae, illud est a *S. Angelo* hodie nomen habens prope Massatium. De hoc etiam agit laudatus Abb. Sartius in eadem Epistola (*t. xlviii. pag. 88.*) *Animadvertat tamen est Arcem Accolae & Castrum Accolae* duo fuisse loca inter se omnino disjuncta, *Arx Accolae*, cujus rudera supersunt, adhuc, prope Ecclesiam S. Angeli sita erat ad fines Agri Castri Accolae, Agrique Massatiensis. Castrum vero Accolae jacebat supra sylvam Staphyli in elevato clivo nunc omnino disjectum, & ab arce Accolae forte mill. pass. dissitum. Ibi fines habent suos tres Dioeceses Aesina, Auximana, & Camerinensis; ideoque locus ille vulgo dicitur = *il luogo delle tre Mitre* = Domini, qui in illo Castro dominabantur erant nobiles Cives Pyrani; in cujus agro praedia permulta possidebant cum palatio, quod hodie priorale est populi, & Communis Pyri structura fortissima aedificato instar propugnaculi, eratque in suo fastigio pinnis undique vallatum. Accolae postremus Dominus fuit Corradutius, sive Conradus Ruggerii filius, qui suis, queis decessit ultimis tabulis, haeredem dixit Gentilem Conradi de Rovellono. Accolani sese Staphylanis dediderunt anno 1286. & annuente rectore Marchiae Staphylum incoluerunt. Unde factum est, ut castrum semirutum remaneret. Ad arcem Accolae Staphylani gubernatorem, quem dixerunt Castellanum, mittebant cum annua mercede lxxvi. Ducatauri de Camera; cujus dominium iidem primò a Jo. Episcopo Recineti generali Commissario S. R. E. anno 1433, mox sub Eugenio IV anno 1441. fuit illis confirmatum. Quum vero arcis custodes passim furta, & homicidia perpetrarent, facultatem obtinuerunt anno 1447. arcis demoliendae: quo facto, anno 1452, missis ad R. Pontificem Oratoribus, petierunt arcis rudera, & campos arci conjunctos. Aesini idipsum tentarunt, sed irrito eventu. Aesini a Staphylanis fuerunt interpellati: ut vero liti finem darent, anno 1456. inter

---

ab eo acquisitis jure haereditario, & [illegible] sententiam reportarunt anno 1287. cum onere Gentili adjuncto perceptos fructus restituendi ab anno 1267. ad illum annum 1287. Id forte evenisse putamus, quia inter Moniales Sanctae Catharinae vivebat Domna Emerentiana Ruggerii soror in seculo Alisa nuncupata, cujus erat Corradutius nepos, contenditque propterea cum Gentili de Rovellono partem sibi paternam jure fuisse devolutam; eamque jus nullum Conradum habuisse testandi. Egidius Cardinalis Alburnotius Castrum Accolae cesserat Fernando Vasquez familiari suo, Fernandus iste anno 1387. vendidit Castrum Accolae Aesinis pretio *duorum millium ducatorum auri boni & fixi ponderis*, & sic ad Aesinos transiit. Habemus in Archivo Prioali Pyrano Apographum hujus donationis anno 1408. Brachius de Montone strenuus miles in Aesina Civitate dominabatur. Prior S. Mariae de Serra a Rom. Pontificis fide defecit, & Brachio adhaesit. Ne propterea rebus suis spoliaretur, omnia ad rectorem Ecclesiae S. Salvatoris extra moenia Pyri, (de qua in actis S. Dominici Loricati cap. xxv. pag. 159. egimus) custodienda detulit. *Potestas Pyri bonis omnibus ad priorem* S. Mariae de Serra spectantibus rectorem S. Salvatoris spoliavit, licet invitum, confectis publicis tabulis cum inventario per Antonium Joannis Not. Pyranum anno 1408. die 6. Septembris. Haec dicta sint ad supplenda, quae de Accolanis sunt omissa ab Abbate Sartio in Appendice Epist. Cupten. pag. 92.

(1) Monasterium *aquae de Perellis* coi domnus Paulus praesidebat prior non longe situm est a Castro Porcarellae in Agro Fabrianensi; & adhuc juris est Monachorum Camaldulensium, hodieque dicitur; *la Romitella*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA DE MONTSERRAT
13020100004253

BIBLIOTECA
DE
MONTSERRAT

Armari C XII B
Prestatge 9 u
Número 11

Digitized by Google